Ex Libris



Ladislao Reti




ACCIPIET ARMATVRAM ZELVS ILLIVS
Sap. 5.
CONSVMET
IGNATIVS
INSIGNIVM, EPIGRAMMATVM
ET ELOGIORVM CENTVRIIS EXPRESSVS
A CAROLO BOVIO SOC. IESV



G. Castellus Sc.

EMINENTISSIMO PRINCIPI ANTONIO BARBERINO S. R. E. CARDINALI CAMERARIO

Carolus Bouius felicitatem.



VI conſcium, ideòque timentem, fœtum hunc mentis meæ pertenuem (CERVAM dicerem, ſi viuacem crederem) vt ſecurum, ac tutum à prælo in Vrbem, Orbemque dimittã, illud, EMINENTISS.ME PRINCEPS, à Tua humanitate nunc impetrem, vt hæc illũ torques ornet ſimul, & muniat, ANTONII SVM: & ſi animum ſpectare Tuum velim, nihil à priſco immutans, adſcribam &, CÆSARIS. Offenſum ſcilicet qui Te nolint, næ illi parcent & Tuis. Te verò quis hominum habere velit offenſum, quem nec poſſit? Magna profectò Ti-

bi securitas, amor omnium: munimentum par, admiratio. Et, quod amplius est, gradu, ad hæc vtrinque reciproco, ideò Te mirātur, quòd amăt, ideò te amant homines, quòd mirantur. Igitur, Tui causâ à mortalibus polliceri mihi quid possim, hoc in oculis est: quid etiam ab illo Cælitum, qui à me Tibi inscriptus prodit, IGNATIO, hoc in argumentis. Si grati sunt Superi, meminit profectò ille, semperque meminerit primum Societatis ab ipso fundatæ sæculum, in sæcula omnia à Te cum tanta celebritatis gloria vindicatum: Vt vincere Te nolit, nisi à Te meritis vinci velit IGNATIVS, reddet profectò Tibi sæcula omnia in Tui nominis celebritate perennia: Superi verò quàm mortales vincere beneficijs & possunt, & solent; tàm à mortalibus gratiâ nec solent vinci, nec possunt. Iam mihi si aduersus IGNATIVM toto in hoc opere nihil ipso dignum à mente fluxit in calamum; hæc certè cogitatio, Parentis (vt arbitror) optimi, sanctissimique nutu, filio ipsius, vtinam non degeneri, à Cælo fluxit in mentem: vt Tuum, ANTONI, nomen inscriberem, atque ità aliquid hìc tellus, aliquid et Cælum aspicerent, quod

pro-

probarent. Nihil de IGNATIO excelsus iste Tuus animus, nisi cum maiore ipsius gloria meditatur. Ipsius Ordinem nulla foues animo huic tuo significatione non pari. Vt ab IGNATIO, qui nihil nisi dignum maiore Dei gloria cogitauit, hoc est cælesti ab illo IGNE accepisse visus sis, vnde in ijs omnibus, quæ cogitas, & moliris, Tuus sit VIGOR OMNIS IN ALTVM: & à gentili rursum APE, quemadmodum illa suæ confecturâ ceræ ALIMENTA DAT IGNI; sic Tuâ Tu beneficentiâ, Ordinem ames fouere semper IGNATII. Iam verò, à Te tàm benè qui cœperim, ne operi huic meo ex omni parte desperem, dimidium certè facti iam habeo. Quòd si benè initium, nisi à Cælo, non ducitur, an non qui à Te, etiam à Cælo sum orsus? Debitum Heroibus Cælum est. Heros Tu magnæ, magnanimæque virtutis insignis, quot Cælum nominibus promereris! Hinc porrò insignibus hisce meis Heroicis, operique toti in ipsa fronte Cælo dignum Te, Tuumque nomen expressi. Quod idem, si viuam, annuatque Deus, non exiguam mihi alicuius aliquando operis ibit in partem, Tu interim libello in hoc tan-

culo tantum Te aſpici, prælegique nunc patere. Atque tùm, quòd tantulum opus hoc dixerim, hoc imputa mihi, Mundo Tibi aſſentiente, mendacium. Similium enim Tui Principum eſt, quæ ad ipſos parua mittuntur, ea ſtatim magna efficere, dum admittunt. Viue diú, & Vale.

LE-

LECTORI.

EXiguarum est, cum corporatæ sunt, rerum, paruitate vindicante, patere minus in vulnera. Incorporeos inter fœtus ingenij, vulnera illi, & plura patiuntur, & plurium, qui breuissmi. Insignibus, Epigrammatis, Elogijs in omni scriptionum genere, mole quid breuius? Quid tàm multa censurarum adeò patet in vulnera? Vni se statim obtutui dum ostendunt, quàm cernuntur facilè, tàm et pronè censentur. Hæc verò si noui simul, et memet, qua tandem fiducia, cum terreri possem à singulis tergeminum hunc, qui cum me ipsum experirer, hostem lacessiui in me pariter, et coniunxi? Nimirum, vt qui cessissem et singulis, puderet me minus, cum viderer sub tergeminis cecidisse. Dicam, vt habet. Conceperam hæc primùm animo, vnius dumtaxat Rhetoricæ, in qua Præceptor inclusus sum, palæstræ visura lucem in partu. Sed dum illuc prodeunt, et spectantur, arbitrati nimirum aliqui, cæteros erga me eodem fore iudicio, qua ipsi erant beneuolentia, expressum à me triplici hoc genere scriptionum Ignatium, à priuata panegyri publicum in aspectum suis denique suasionibus extraxere. Neque verò me fugit, quemadmodum, quæ viuidos habent spiritus, et subtiles, illa patentem in aërem cum primùm expirant, vim, efficacitatemque deperdunt; ita finitæ, ac finitimæ coronæ animos posse nonnullis à scriptionibus aliquando feriri, quæ ad infinitos, remotosque cum transuolant, sine ullo plerunque & vulnere cadunt, & sensu. Verùm, vt non sum de laude sollicitus, sic apud æquos æstimatores veniam

non despero: qui cum huic meæ Insignium centuriæ non liberam è quouis argumento materiam, sed ex vnius IGNATII uita selectiora gesta decerpta à me uiderint: et mox argumenta eadem legerint Epigrammate simul, Elogioque tractata, si minus in omnia feliciter æquè fluxit ingenium, non ità me fortasse damnatum uolent, ut aliqua saltem in parte, si uoluerint excusare, non possint. Et ego quidem, ne me tanto Parenti filium approbarem ex æquo degenerem, et ingratum, hæc eadem, quæ de ipso conceperam, uigilare diutiùs, constantiùsque potueram, nisi dum hæc scribo, diù me obstinata torsisset insomnia. Sumat et hinc tamen suæ incrementum laudis IGNATIVS, quando illaudato scriptore, supra scribentis ingenium multò ornari potuisse meliùs Lector intelliget, quæ scribuntur. Profanæ nimirum militiæ armis (quod expressum in fronte operis est) ad Virgineam Montis Serrati aram exutis, Spiritus gladium, et armaturam accepit Zelus IGNATII. Hisce tùm armis ab ipso, ipsiusque Ordine fusi, profligatique exercitus Superstitionum, et Hæresum. Ac ueluti Ignis uepres, et aurum, alterutrum, uel utrumque cum corripit, AVT CONSVMIT, AVT CONSVMMAT, Sic uitiorum spinas absumere, sic uirtutum et Sanctitatis aurum excoquere, inextincti fuit ardoris IGNATII. Tanta ille gessit, scribi de ipso quæ possent. Iam mihi à mei operis tenuitate non metuo. Nemo scribet hæc tantulus, qui aliquid ex hac tanta argumenti basi non crescat.

IN-

INDEX
INSIGNIVM,
Quorum numeris Epigrammata, & Elogia in idem argumentum adiecta respondent.

in

Non

FINIS.

C. rea
C de Senex,

INSIGNE I.

ILLVSTRIBVS ORTVS PARENTIBVS FAMILIAE SVAE SPLENDOREM ADDIT IGNATIVS.



Aqua in rotũda phiala lumẽ, QVOD ACCIPIT, AVGET: Et ab Ignatij sanctitate quantum incrementi Loyolææ nobilitatis fulgor accepit!

EPIGRAMMA I.

IN IGNATII NATALES ILLVSTRES.

Nobilis Infantem quid ceræ fumus, & altum
A longo veniens stemma coronat Auo?
Effluet Ignatii iam iam cera omnis ad Ignem,
Qui meliore suos stemmate tollet Auos.
Fumosum iubar ergo domus remouete; nec inter
Clara Ignis tanti nomina fumus eat.
Ambiat à veteri fulgere superbia fumo;
Splendorem, fumo qui caret ignis, habet.

ELOGIVM I.

Vt minores appareant,
Veniant in Ignatij stemma Maiores.
Maiores etiam apparituri tunc se se,
Cum minores quidem Ignatio,
Sed Maiores Ignatij apparebunt.
Mortalis certè à Parentibus genitus
Posteræ immortalitatem famæ
Filius refudit in Patres.
Quicum vt Aui, Proauique perẽnent in nomine
Nepotis iam sui facti sunt posteri.
Vsque adeò clarâ Patrum serie longa nobilitas
Vno tamen est Ignatij fulgore contractior.

Suos

Suos inter Germanos natu minimus
Naturam ſic virtute præuertit,
Vt maximus moreretur.
Alias ab alijs augendæ nobilitatis vias
Occupatas vt vidit,
Nouam ipſe, feliciorem que ingreſſus eſt,
Contemptum nempe ſplendoris, & famæ.
Quàm verò antiquâ ſuorum relictâ ſemitâ
Minimè Ignatium via hæc nouâ feſellerit,
Ex tam felici, quod fecit in illa, compendio
Mundus iam omnis intelligit:
Nunquam enim Loyolæum nomen
Tanti omnibus eſſet,
Niſi illud nihili fuiſſet Ignatio.
Qui magnis ardens, lucenſque virtutibus,
Quod ab Igne accepit,
Ne ſuo quidem otium admiſit in nomine.
Audite iam è ſepulcralibus vmbris
Loyolæi manes illuſtres:
Antiquæ veſtræ domus ceræ
Ignatij debent Igni,
Quòd non fluxerint:

INSIGNE II.

AVLICAE VITAE SPECIES ALLICIT, ET AD SE TRAHIT IGNATIVM.



Falſis coloribus trigonum vitrum DECIPIT, ET PLACET: Et cum rerum ferè omnium falſa ſit ſpecies in Aula, adhuc tamen illa tàm multos oblectat, & capit.

EPI-

EPIGRAMMA II.

IN AVLICAM IGNATII VITAM.

Spectat adorati Loyola insignia fastus,
Inque Aula, blandè quo crucietur, amat.
Et vitreæ vacua deceptus imagine bullæ,
Ludibrij in spectro quærit inane iubar.
Ingenium hinc Aulæ felix agnosce, malumque:
Qua potius debet fraude fugare, trahit.
Res, si non fallax, foret Aulæ curta; capaci
Arte sed hac, omnes decipit, inde capit.

ELOGIVM II.

Sapis, Ignati:
Ne grauiter vitam feras;
Vitam tolerare meditaris in Aula:
In qua quid leue non sit,
Cuius elementum est vanitas?
Disce tamen prius Aulæ portenta:
Hac leuitate nil grauius,
Quæ viris vires adimens
Masculam omnem in ijs virtutem effœminat.
Disce iterum Aulæ portenta:
Cum tot inter vanitates
Totus sit labor in Vacuo,

Adhuc in illo, vel inuitis Philoſophis,
Dari poſſe motum,
Tot Aulicorum ruinis, & cladibus
Magna iam euicit còngeries proiectorum.
Et, tàm multis in ima cadentibus,
Nemo tamen motum non ſperat ſurſum:
Voto fortaſſe vndecumque non irrito,
Quando animis
Spes inter vanas pendentibus,
Hoc vno veluti ſuſpendio
Aulici efferuntur:
O curas hominum verè leuiſſimas!
Quid enim illæ ponderis habent,
Quæ tàm facilè poſſunt
Fortunæ flatu circumagi?
Et Aulicos ſuos
Cum alumna lactet Aula, ceù pueros,
Ij, Dentati ceù Curij, nati cum dentibus,
Dura ſemper, & rodunt, & vorant.
Ità ſuo ludorum omnium dentatiſſimo
Aulicos omnes folles præparat Fortuna luſorios:
Quos dum tundit, vt efferat,
Effert, vt tundat.

NI-

INSIGNE III.

INANIVM AMORE VOLVPTATVM, ET CAETERA SAECVLI VANITATE CONSVMITVR.



Fontis in cratere vrna MERGITVR DVM IMPLETVR;& ſordibus tantumdem obruitur, quantum quis hauſerit profanorum.

EPIGRAMMA III.

IN IGNATIVM VANIS AMORIBVS IRRETITVM.

Et balanum fronti, & fœdas Loyola capillis
Spargit odorato puluere munditias.
Inde Cupidineas auido bibit ore fauillas,
Quæque ignem sitiat, potat in igne sitim.
Quin per fata sequi vel dira paratus Amorem,
Imbelli miles pro Duce robur habet.
Robur habet? molli quæ Virtus constet Amori?
Posse, vt ames, vitam spernere, mollitia est.

ELOGIVM III.

Inter Aulæ vanitates,
Infrugifero in solo,
Quid mirum, si, quod solum potuit,
Esse non frugi cæpit Ignatius?
Miror tamen, quòd palea factus,
Adhuc se ludibrium venti circumferens,
Vanos inter amores ignem quærit.
Et facilis ardendo materies
Quàm adhuc tota sit fumus,
Ex oculis agnosces amantium.
Quos pœnâ, vel alterutrâ, vel vtrâque
Nunquam ad fumum hunc videas,

Nisi

Niſi, aut cum lacrymis, aut ſinè luce.
Et adhuc
Illarum vbertate ſomitem parant,
Huius orbitate quærunt pericula.
Felicitate miſerrima,
Quòd nunquam, quid plorent, non habeant;
Qui ardorem ſemper habent, vt plorent:
Nunquam, vbi pereant, non inueniant,
Qui nunquam non pereunt, vbi amant:
An verò illi non pereunt,
Qui ſe ipſos amittunt?
Quid porrò perditè magis amittitur,
Quàm quod ſic mutatur in alia, & diſtrahitur,
Vt tàm ſibi nunquam conſtet,
Quàm nunquam inueniatur in ſe ſe?
Iam non gratis mentiuntur Pöétæ:
Quorum nempe leuiora mendacia
Magno venalia ſunt pretio veritatis.
Vnam ijs Circem figmenta quid imputent?
Quæcumque Solis filias vultu ſe probant,
Suos hoſpites
Raro non mutant in belluas.

INSIGNE IV.

STVDIO MAXIME AMBITIONIS INCENDITVR.



Turbo igneus tàm multis papyraceis tubis, totidem veluti linguis ait, CONCREMOR VT SPECTER: Ambitiosum vides: Totus arcano igne, non nisi, vt spectetur, absumitur.

EPI-

EPIGRAMMA IV.

IN STVDIVM AMBITIONIS IGNATII.

Caucasea sub rupe nefas illustre Prometheus
Dum luit, æternam viscere pascit auem.
Crimen erat, modicæ furtum, Loyola, fauillæ,
Et pœnæ tantum tantula culpa tulit.
Tu titulis inhians, non flammam à Sole, sed omnem
Furari famam prædo superbus amas.
Mirarisque, iecur tibi rostro vultur edaci
Tundere si nunquam desinit Ambitio?
Vnde potest tamen esse fames tàm longa voranti?
Esuriem cibus hic prouocat, inde potest.

ELOGIVM IV.

Longum, Ignati, iter ingrederis:
Magno tibi opus erit viatico,
Patientiâ.
Iturum se recta non speret,
Ambire cui placuit.
Quàm verò longa via est,
Quæ tota sit ambitu?
Tantum porrò corruptissimæ viæ
Num sine sorde confeceris?
Efferri semel vt possis,

Fe-

Ferenda ſæpè illa ſunt, quæ nec poſſis.
Sed ambitionis hæc toga eſt:
Nemo ambit, niſi in ſordibus candidatus.
Et hic, ſi vſquam alius
Verè vitioſus eſt circulus.
Obſtinatè quippe
Per fortunæ inſolentiam vel reflantis
Vt in Principem efferaris ambire,
Hoc eſt, ea, quæ fuerint negata, repetere,
Nôn hoc eſt petere principium?
Iam, Ignati, ad portenta te compara:
Meditanti Cælum via eſt calcanda per Tartarũ:
In quo quæ patieris turpiter,
Cum ferre vltrò libuerit,
Patientia ipſa execrabili portento fiet vitium.
Sed aliquando tandem euaſeris,
Euectus, illic denique ſiſtendus es,
Vbi omnia, vel de te
Vel circum te fieri ſenties meteora.
Arſeris hìc ſimul, & alſeris,
Clarum ſperare quod poteris, fulmen fies,
Non aliàs daturum clades, niſi cum cades.

INSIGNE V.

NOMINIS, ET GLORIAE CVPIDVS MILITAREM VITAM AGGREDITVR.



Murale cum tormentum exploditur, CVM FVLGORE SONVS excluditur. Eò militiæ ſe dedit Ignatius, vt ex illa ipſius nomen clarè cum gloria perſonaret:

EPI-

EPIGRAMMA V.

IN MILITARIS GLORIAE CVPIDITATEM IGNATII.

Post Aulæ ludum, tuus est amor alea Martis,
Et tibi post mollem gloria dura placet.
Falleris, Ignati; in molli nisi vota quiescunt,
Dura inter votis accidet vnde quies?
Omnia sed tentas, vt tantùm errore magistro,
Quod citò iam posses, discere serò velis.
Martis laude tumens pacem tibi fingis in armis?
Frustra alios vincit, qui sibi bella mouet.


ELOGIVM V.

Ades huc animæ largus, Ignati:
Bellonæ in campo, nundinante Morte
Venalis est Gloria.
Classicum audis? Præconis ea vox est:
Quisquis huc emptor accedis,
Anima hic tantùm
Licitari licet, & sanguine.
Magnum porrò pretium, anima magna est,
Magnitudinem vis probare? contemne.
O' homines, durum genus!
Tunica tectum adamantina
Nequicquam in castra corpus infer[illegible]ur,
Nisi

Niſi animus comes ſubeat catafractus.
Qui nempe in ictum timoris ne pateat,
Audacia ferus, & ferreus,
Terribilium omnium maximum
Nihil neceſſe eſt mortem exhorreat.
Et adhuc quod deberet eſſe metus, eſt votum:
Tantique ſtat clarum nomen,
Vt, illud apud alios lucrari qui cupiat,
Se inter alios amittere non recuſet.
An verò ſecũdo curſu immortalitas nõ appetitur,
Niſi in oppetenda morte
Nemini ſe miles patiatur curſu ſecundum?
Qui in albo Gloriæ
Vna tantùm atratæ illius manu ſcribendus,
Nobilis argumento ambitionis,
Adhuc candidatus expoſcitur,
Suo nimirum ſanguine purpuratus.
O' iterum homines, durum genus!
Quorum pectora, vt ſibi aut parcãt, aut metuant.
Nec tot ferientium ictus infringunt,
Nec tantus pereuntium ſanguis emollit.

INSIGNE VI.

EX INFRACTA PAMPELONE TIBIA AD AMIMI SANITATEM REVOCATVR IGNATIVS.



Musiuo in opere FRACTVRIS INTEGRITAS surgit imaginis.
Integritatem Deus animo facturus Ignatij, ipsius tibiam muralis tormenti vulnere in frusta propemodum Pampelone comminuit.

EPI-

EPIGRAMMA VI.

IN IGNATIVM EX TIBIAE VVLNERE ANIMO SANATVM.

Quantus ab obſeſſa Loyola interritus Arce
Infeſta immoto ſuſtinet arma gradu,
Diſſiluit poſtquam iaculato tibia plumbo,
Vt meliora iterum ſurgat in arma, cadit.
Ac velut icta ſilex, quo tangitur, ardet ab ictu,
Protinus accepti Numinis igne flagrat.
Flagrat, & ipſe ſui de victo Victor, ab hoſte,
Quem vix rara petit pugna, trophœa refert.
Euge, licet, Galle, & victa ſuper arce ſuperbi:
Plusquam tu victor Pampelo victſaacit.

ELOGIVM VI.

Magnum aliquid molitur in Ignatio Deus,
Circa quem tantum iam lapidem mouet.
Profana Arx vetus euertitur,
Nouo ſternitur area ædificio ſanctitatis.
An vetus homo
In Duce profano deijcitur,
Vt homo nouus ſacro in milite erigatur?
Ne quiſquam Deum poſſit effugere,
Vide quàm aliæ ſint viæ hominum, atque Dei.
Dirigitur in corpus ictus,
Dum vulneri ſcopus eſt animus.

Tibiamque Deus tunc ſrangit Ignatio,
Cum parat capiti ſanitatem.
Cum elatus ille ſuperbiâ
Altiùs sẽper motu grauiũ ad humana deſcẽderet,
Pondere lapidis grauiore deiectus
Ferri ad diuina ſurſum incepit.
Ferale aliquid
Videri poterat ceciniſſe tormentum;
Sed Gallus boni fuit ominis, vel Hiſpano:
Ità Petrum
Imitaturo deinceps, & propugnaturo,
Vt vitam anteactam fleret,
Vberes lacrymas Ignatio Gallus elicuit.
Qui cum veræ virtuti
Vel ſtrepentia inter arma dormiret,
Cum affixus eſt lecto
Sibi vigilare cæpit, & Deo.
Ita rurſum, quòd excitatus à ſomno eſt,
Gallo debet Ignatius.
Et tibi, tormentum murale, non plaudam?
Quantum cum vi capis, explodiſque globum,
Quo perculſum tanti ponderis Heroem
Ad ipſum vſque Cælum impellis Ignatium!

IN-

INSIGNE VII:

MORTI PROXIMVS AB APPARENTE SIBI D. PETRO COGITARE INICIPIENS MELIORA SANATVR.



Candelabro cereus inuerſo in luminis interitū iam iam diffluens, ſedula manus dexteritate VERTATVR, ET VIVET. Ignatio Petrus hoc contulit: Illum, vt benè deinceps viueret, alia in morbo vel extremo cogitantem ad meliora conuertit, & ſanauit.

EPIGRAMMA VII.

IN IGNATIVM AB APPARENTE ILLI D. PETRO SANATVM.

Dum vitæ Loyola ſubit fata vltima, Petrus
Labitur è Cælo prima repente ſalus.
Crure laborabat fracto Loyola; Petrique
Conſimili huic Luther transfuga vulnus erat.
Ergo vt conualuit, Lutheri in vulnera cunctis
Loyola exertis viribus inualuit.
Iam mentem, Loyola, manus cognoſce medentis:
Te medicum Petri hæc cura medendo facit.

ELOGIVM VII.

Maſculas nunc ſume vires, Ignati:
Deiectus petra, erectus Petro,
Veteri relictâ militiâ,
Ad noua bella te compara:
Stipendia ſi quæris,
Cum clauibus Quæſtor adeſt è Cæló:
Inſolentiam iam ſuadelæ ne reſpue:
A vulnere conualuiſti, morboque,
Vnguẽta nimirũ,& pharmaca ſupplẽte prodigio,
Viribus nunc abutere licet acceptis.
Cæli ærario
Nunquã certè opportunius inferre vim poteris,

Quam

Quã cũ illius tã prope ad manus tibi sũt claues ?
Ne non ſis vel in Superos animoſus,
Ipſum habeo theſauri dominum,
Quem tuę cedam ſecuritati ſponſorem.
Vim patitur Cælum,
Et violenti rapiunt illud.
Quid hìc opus eſt aſteriſco, vel notá ?
Beneficia, quæ conferre non vult inuitis,
Hæc Cælum auferri ſibi expetit, vel inuito.
Iam verò Dauid futurus alter
Fundibularius Vaticani,
In Inferni Goliathi frontem
Petram hanc ſumes Erebo capitalem.
Timeant monſtroſæ gigantes doctrinæ:
Scientiæ ipſorum gladium, vel profanæ,
Süó attactu pietas conſecrabit Ignatij.
Eoque mox quà ſua, quà ſuorum manu
Dauid hic amputabit Fidei corruptores,
Hoſtes Cæli propterea contumaces,
Quia Romæ rebelles.
Hunc interim apud homines, Diuoſque,
Cæli Ianitor Petrus Ignatio
Mortis in forib⁹ ad immortalitatẽ aditũ reſerauit.

INSIGNE VIII.

PII LECTIO LIBRI, PROFANIS ALIIS, QVOS POPOSCERAT, NON INVENTIS, NOVAM AFFERT LVCEM IGNATIO.



Cæterorum ſiderum aſpectu ſublato, Sole AB VNO DIES exoritur. Et profanis, quos maluiſſet, non ſuppetentibus libris, pio ſibi ad legendum oblato, melioris ſuæ vitæ diem debet Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA VIII.

IN PII LECTIONEM LIBRI MELIORIS VITAE LVCEM, AMOREMQVE IGNATIO AFFERENTEM.

Parue, ſed ingenti, liber ò, virtute, nec aſtris,
(Tantus es afflatis ignibus) inuideas.
Te quicumque videt Loyolam igneſcere lecto,
Ille librum Cælum dicat, & aſtra, notas.
Aſtra diù multi ſed contemplantur, & algent:
Vix Loyola breui te videt, atque flagrat.
Frigida nam ſpectant noctu illi ſidera: præfers
Ipſe Deum: ardentem Sol parit iſte diem.


ELOGIVM VIII.

Tàm alto veterno dormit Ignatius,
Vt nec murali potuerit excitari tormento.
Qui in mortem properans,
Rebuſque adhuc mortalibus hærens,
Minimè ſe euigilaſſe ad vitam oſtendit,
Quando in mortis germani ſinu
Animum cœcis habet affectibus ſic ſopitum
Lecto nimirum æger affixus,
Adhuc ægriore laborat cura,
Vt tempus fallat.
Sed Ignatium falli vetat æternitas:
Quem, ne non benè laboret,

Lectioni totum affigit.
Vt verò melior melius inueniret vita cõpendiũ,
Compendiariâ venit viâ,
Quando breui volumine
Ignatio ſe tota Cæli euoluit immenſitas.
Ille nimirum,
Cum vano, quod maluerat, in volumine
Leuium nugarum folia ventoſa depoſceret,
Qui totam expleret ſanctitatis libram,
Librum, alijs non inuentis, oblatum
Et ponderis, & momenti ſumpſit æterni.
Geſta erant, & vita
Dei hominis, hominum Diuinorum.
Ignarus ſui qui vixerat,
Quia pręter ſe nihil prius aſpexerat;
Alios à ſe dum hìc Ignatius aſpicit,
Ipſum ſe denique diſcit agnoſcere.
Vnam ęternorum veritatẽ teſtatus Ignatio Deus,
Falsũ omne rerum labentiũ illũ docuit deteſtari.
Quo tandem euentu?
Diuino ſtatim illo ſe ſcripſit in libro,
Humanis ſe ſe omnibus dum proſcripſit.

INSIGNE IX.

CHRISTI, SANCTORVMQVE VIRTVTES, ET GESTA DIVERSIS NOTATA COLORIBVS, AD IMITANDVM SIBI PROPONIT IGNATIVS.



Multiplices radij, globulique, vel ſerico pleni, vel auro, ab arte ingenioſa opus PARANTVR IN VNVM: Ingenium agnoſce nauum Ignatij: Vt ſanctitatis ſuæ mirificum planè textũ efficiat, Chriſti, Sanctorumq; quas imitetur, virtutes, colore multiplici ſeorſim accuratè deſcribit.

EPIGRAMMA IX.

IN VARIOS COLORES, QVIBVS VARIAS SANCTORVM VIRTVTES NOTABAT IGNATIVS.

Quæ tibi tàm miros Iris, Loyola, colores,
Se quibus ambitis arcuet ipsa, dedit?
Pingere tàm tenui ductu quo doctus Apelle
Picturam in tabula, prodigiumque facis?
Sed res multicolor, res est tenuissima Virtus:
Inde notans munus præstat vtrumque manus.
Haud vltra vanum virtus est sæpè colorem?
Intra virtutem nunc venit ipse color.

ELOGIVM IX.

Totus in coloribus Ignatius est:
A præstigiatore Virtutis ingenuo
Fucum sibi timeat
Vitiorum sycophanta Tartareus.
An non illi feliciter illudit Ignatius?
Molitor magnorum animus,
Coloribus, hoc est, cęmentis tenuissimis
Virtutis extruit solidæ colossæum.
Et tu, quisquis ad hanc tabulam
Spectator accedis,
Hìc etiam, Nimium ne crede colori.
Res quippe oculorum Virtus non est,

Quæ

Quæ, cum tota ſit ingenua,
Adhuc colores, & pigmenta non renuens
Ducere ſuum poteſt
E' colore quouis, vel nigro candorem.
Iam verò, Ignati,
Tam bonum Chriſti odorem
Tua iſthæc membrana dum halat,
Florum ne colores,
An Virtutum flores hos dicam,
Quos tu in animi tui horto conſeris,
Verè penſili, quia cæleſti?
Sed flores
Paucis naſcuntur, aut diebus, aut horis:
Tu perpetuum, Ignati, ver facis:
Et, quod prodigioſius eſt,
Quicquid tibi vernat in floribus,
Hoc tibi ſimul autumnat in fructus:
Iam quas intimè celas in corde,
Coloribus extimis virtutes obline in membrana.
Manum etiam de tabula nunquam aufer;
Inficiari non poteris æternitati te pingere,
Qui pingas diù:

INSIGNE X.

DVM SE DEO ARDENTER OFFERT IGNATIVS, CONCVSSA DOMO FENESTRAE DISSILIVNT.



Quanto cum fragore, ac vi dissilientem incendiariã glandẽ ignis ARDENDO CONCVSSIT! Vt Ignatium diuina flamma corripuit, illo, quo se Deo deuouit, ardore, impetum vel in fenestras, & parietes fecit.

EPI-

EPIGRAMMA X.

IN IGNATII DOMVM INTER VOTA OFFERENTIS SE DEO CONCVSSAM.

Tecta labant; trepidas diducit rima fenestras:
Nec tamen hic terræ motus, at ætheris est.
Scilicet Ignatî dum Cælum in vota calescit,
Cæli igne haud potuit stare mouente domus.
An celer approperans Loyolæ in pectora, rectam
Numen hiante sibi pandit in æde viam?
Quidlibet hoc fuerit, caue Pluto: mænibus hostis
Quid faciet, propriam qui quatit ante domum?

ELOGIVM X.

Postquam de Virtute fundanda
Statuere cæpit Ignatius,
Domus omnis
A fundamento concussa vix stetit.
Vsque adeò, nisi per terrestria diruta
Cælestia non conduntur.
Iam ex quo terris ille vim intulit,
Vim ab illo sic pati Cælum incepit,
Vt deditionem apertè iam cogitet,
Quando intimè se totum indit Ignatio.
Porrò tunc se totum Cælum homini dedit
Cum,

Cũ humanis exhauſtis totũ ſibi vindicat hominẽ.
An quia vacuum
Nec Natura patitur dari, nec Gratia?
Vt iam (quicquid diſceptent contra Philoſophi)
Et intra naturam
Repugnans illud eſſe demonſtretur, & ſupra.
Iam verò, arcanum ne ignis cuniculum
Motus hic indicat, qui videtur?
Adeſte iam, Superi, ſpectatum è Cælo:
Diuinæ Gratiæ partu,
Cæleſti edito terris Infante,
Loyolæa in domo ignes accenduntur in plausũ.
Porrò, quantus hic olim futurus ſit,
Parietes ipſi nunc docent:
Quem quia non capiunt,
Magnis hiatibus miras laxantur in rimas.
An qui diù ludus Mundi fuerat Philiſtæi,
Perire terris certus nouus hic Sampſon,
Fortioris conſilij cæſarie iam adultâ,
Profanam domũ in interitũ cõcutit profanorũ?
Age iam: anguſtiarum impatiens
Exſpira hinc Ignatij feruor in Cælum.
Et te vereri Tartarus iam incipiat:
Tua in illũ firmat Deus, domo vel nutãte, cõſilia.
IN-

INSIGNE XI.

E DOMO, ET COGNATIONE SVA EXIT, RELICTISQ; OMNIBVS, FAMVLOS ETIAM DIMITTIT IGNATIVS.



Venturus in certamen, depoſitis veſtibus nudus IPSE IN ARENAM luctator ingreditur. In Chriſti arena luctaturus, opes, famulos, & ſua omnia, tamquam veſtium impedimenta, domum exiens à ſe reiecit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XI.

IN IGNATIVM E DOMO EXEVNTEM ET FAMVLOS CVM SVIS OMNIBVS DIMITTENTEM.

Macte Gigas: laribus, Loyola, excedis auitis;
Macte, gigantæo pergis in astra gradu.
Commoda, delicias, famam, spes, nomen, opesque,
Atque tua, atque tuos præterit iste gradus.
Quin tibi, post tua, te dempto, non cerneris vltra:
Tàm procul ex oculis te tulit iste gradus.
Magna solum dirimant licet interualla, polumque,
Terram vt quis primùm liquerit, astra tenet.

ELOGIVM XI.


Verum meditãs Philosophum agere,
Ne non bona sua omnia secum portet,
Nihil è domo suum exportat Ignatius.
An quia verebatur, & iure,
Ne de se aliquid in illa relinqueret,
Si de suis aliquid
Ex illa secum efferret?
Porrò intutus è domo abit,
E domo qui non abit totus.
Totus verò non abit,
Qui conuectis sarcinis leuium recularum,
Gradu incedit plusquam testudineo domiporta.

Iam

Iam ille fruſtra ſe diuinis addixerit,
Qui ſe humanis antea non abdicauerit.
Interim, arctum vt meminit eſſe iter ad Cælum,
Ne illius Ignatius augeret anguſtias,
Famulos etiam,
Quos admiſerat diſcedendo, dimittens,
Viæ abſtulit impedimenta circumpedes.
Denique itinere ſic expedito,
Ad Montis Serrati Virginem vt aduenit,
Vectario ſe etiam iumento,
In quo ſcilicet non erat intellectus, exonerans
Planè nudus
Plenè ſe Chriſti Philoſophiam
Intelligere perſuaſit.
Cui nimirnm capiendæ nil expedit magis,
Quàm, ne res vlla nos capiat,
Rebus eſſe omnibus expeditos.
Alia terrarum onera
Ne baiulantes excrucient,
Culcitâ ſubiectâ geſtantur:
Chriſti Crux, leue vt ſit onus,
Nudis tantùm humeris non incommodat.

INSIGNE XII.

DEIPARAE VIRGINITATEM ADVERSVS MAHOMETICVM MAVRVM, QVAM ILLE NEGABAT ILLIBATAM A PARTV, DEFENDIT IGNATIVS.



Aediculæ ſacræ oſtium ferrea dum crates munit, rectis,tranſuerſiſque mucronibus, illud in ſacrilegos loquitur inuaſores, TVTOR, ET VLCISCOR . Nec ſuum minus exacuit ardorem Ignatius,vt ſacrilegã Mahometici Mauri audaciã reprimeret Deiparæ Virginitatẽ à partu linguâ impiâ pernegantem . EPI-

EPIGRAMMA XII.

IGNATIO DEIPARAE VIRGINITATEM ADVERSVS MAVRVM DEFENDENTI.

Vile caput, Cælum ſic eſt tibi vile, profano
Vt violes magnæ Virginis ore niues?
Non, inquit Loyola, feres impune, ſequar te,
Te licet alatis auferat Eurus equis.
Sumeret ergo nigro pœnas à ſanguine; ſed quæ
Fortè vehebatur, non mala mula negat.
Scilicet in diuerſa abijt, docuitque pudorem
Non benè Virgineum cæde; pudore tegi.
Caſta uouens igitur vitæ tunc munera, Maurum
In proprio extinxit pectore: pœna data eſt.

ELOGIVM XII.


De Virgineo poſt partum candore
Fœtus à partu, & ante partum nigerrimus
Atrum calculum
Cum ferre Maurus auderet,
Vocem impiam expiaturus Ignatius,
Vbi rationum fonte
Lauari fruſtra vidit Aethiopem,
Intimè nigrum
Intimo ratus eſt lauacro eſſe tergendum:
Proinde vt Veritas emergeret,

Conuiciatorem impurum
Mergere ſanguine deſtinauit,
Sed boni feruor amoris
Malum excanduerat in furorem:
Impotem proinde rationis affectum
Animãtis, qua vehebatur, cõmiſit brutæ iudicio
Quæ ad biuium cum veniſſet,
Habenæ libertate acceptâ
Furentis animo frœnum iniecit,
Quando aliâ à Mauro viâ diſcedens
Redire ad cor, & ſe ſe dedit Ignatio:
Qui ſequacem virtutis
Herculem imitari aggreſſus à biuio,
Deiparæ ſuccenſus amore caſtitatem vouens,
In nouæ vitæ cunis
Hercule maior, & melior
Lubricorum affectuum viroſos angues eliſit;
A quibus poſt Hydram, & Cerberum
Ita illuſum Herculi eſt,
Vt virum ſe vltrà non patiens,
Agens proinde mulierem,
Maſculam omnem virtutem
Præcipitarit in lubrico fœminarum.

IN-

INSIGNE XIII.

DEIPARAE AMORE SVCCENSVS CASTITATIS, QVAM VOVET, DONVM DIVINITVS ACCIPIT IGNATIVS.



Solis obiectæ radijs ceræ A CALORE CANDOR accedit. Et Ignatius vt primùm amore ad Deiparæ Solem incaluit, Castitatis simul illi vouit, simul accepit ab illo candorem.

EPIGRAMMA XIII.

IN CASTITATEM AB IGNATIO DEIPARAE VIRGINIS AMORE DEVOTAM.

Virginis vt niueos Ignatius arſit amores,
Ignes in niuibus ſenſit in igne niues.
Flammea nix ergo flammatum, & flamma niualem
Huic niuea, ut uouit, protinus eſſe dedit.
Pro caſta caſtum ſe Virgine uouit amator,
Virgo dato caſtum munere fecit amans.
Quid magni magnum vis neſcit amoris? amãtes
Conſimiles ſi non inuenit, ipſe facit.

ELOGIVM XIII.

Nulla maior Cælo litatur Hecatombe,
Quàm Caſtitas.
Vna in hac Victima
Numeroſâ ſui victoriâ
Centum vitia iugulantur.
Quæ grauiſſimo cum ſint odore, cum viuunt,
Extincta cum fuerint,
Diuinæ fundunt fragrantiam ſuauitatis.
Bonus Chriſti odor
Sacerdos igneus initiatus Ignatius,
Corde flagrans, vt fragret & corpore.
Deuotæ litat thiamiamate Caſtitatis.

Odo-

Odoratus nempe Virginem
Quid aliud nisi Integritatem
Adoleret hic Ignis?
Odorem verò tam bonum
Vbi sensit è Cælo Deus,
Suam hanc Victimam
Vt Cælesti flamma statim incenderet,
Collato Castitatis dono,
Impuri flammas ardoris
In Ignatio prorsus extinxit.
Integritatis igitur
Et voto, & munere accepto deuinctus,
A corporis seruitute solutus,
Vna eademq; manu transcriptus in numerũ est
Seruorum pariter, & liberorum Dei.
Iam verò
Qui brutarum omnium repudio voluptatum
Corpus planè totum grande soluit in pretium,
An non à Cælo ille magnũ mercatus est spiritũ?
Disce Lector:
Totum Deus illi se debet,
Qui, vt castè viuat, nihil debere vult sibi.

INSIGNE XIV.

VESTES SVAS PRETIOSAS EXVIT, EASQVE PANNOSO PAVPERI DONAT IGNATIVS.



Quamdiù intra concham latet, margaritam iuſtè non æſtimes: proinde ſuas extra exuuias, NVDA CAPIT PRETIVM. Quanti habenda ſit virtus Ignatij, pari iudicio, poſtquam pretioſas exuit, pauperique largitus eſt veſtes, in ipſo ſic nudo iam æſtima.

EPI-

EPIGRAMMA XIV.

IN IGNATIVM VESTES SVAS PRETIOSAS PAVPERI LARGIENTEM.

Quem lacero in cultu ſpectas, Ignatius hic eſt:
Hic eſt ille, decens non erat ille chlamys.
Eſt idem, eſt alius: cenſu modò diues inani;
Veras in cultu paupere ſumpſit opes.
Scilicet ipſe palam ſe publicus ante ferebat,
Quando nihil damni, quod pateretur, erat.
Pauperiem vt ſumpſit, metuit Loyola latrones,
Cur etenim non vult publicus ire? timet.

ELOGIVM VIII.

Ad Virginem poſtquam autumnauit Ignatius,
Et prœcoci fœtu
Caſtitas deuota maturuit,
Decerptis iam fructibus,
Grauem pretioſæ veſtis ornatum,
Inania veluti folia,
Virtus ramoſa cæpit excutere!
Et Caſtitas Puellæ imitata modeſtiam;
Cum ſolam incedere crederet indecorum
Fidiſſimam comitem,
Grauem voluit matronam adiungere ſibi,
Pauperiem.

An verò nouam Ignatius,
Diuersamque viuere vitam incipiens,
Iustitiæ Solem
Suo habet in Cælo retrogradum?
Quo nimirum regrediente
A Virgine ad Leonem,
Vbi satis amore virtutis incaluit,
Vt æstum temperet, nudat se se.
Et cum Castitate sit candidus,
Nudatus Pauperie
Colorari in Sole incipit Caritatis.
Sed suarum munditias vestium
Pauperi elargitus,
Sordes ipse induendas à paupere mutuatur.
Constanti veritate
Virtutis mundissimę modestiam,
Quæ in sordibus putere tunc incipit,
In munditijs patere cum appetit,
Nitere tunc melius, & latere,
Cum se se amat,
Vel laceram spectari, vel nudam.

INSIGNE XV.

ANTE VIRGINIS DEIPARAE ARAM AD MONTEM SERRATVM IN PRIMO SPIRITVS FERVORE NOCTEM VNAM IGNATIVS EXCVBAT.



In lucerna lumen NON SOPITVR ARDENDO. Noui feruore Spiritus, & amore Virginis cum arderet Ignatius, noctem totam vigil excubans, suis ab oculis soporem omnem excludit.

IN-

EPIGRAMMA XV.

IN IGNATII ANTE VIRGINIS ARAM EXCVBIAS.

Plenus amor vitæ non gaudet imagine mortis:
Nec coëunt gelidus, feruidus, humor, amor.
Propinant radijs nictantibus astra soporem:
Loyola at somni nil tamen inde bibit.
Virgineæ ad mensam discumbit, et excubat aræ:
Sobria sunt frontis lumina? corde bibit.
Hinc Mariam corde eructat: potatur amoris
Impotis somno lucibus ebrietas.

ELOGIVM XV.

Quàm citò Ignatius Iustitiæ libram inueniet,
Qui quærere illam incepit à Virgine?
Primo itinere fertur sursum.
An humile aliquid de virtute ille cogitat,
Qui eius fundamenta ponit in monte?
Porrò casum hæc structura ne timeat;
Quàm enim solidè illa innititur,
Quæ terra fundatur in Virgine?
In hanc verò frustra vndarum torrentes,
Frustra ventorum flamina dimicabitis,
In sinu posita est, manuque Deiparæ:
Tempestates, & meteora omnia

In-

Infra intumeſcunt, & detument:
Olympus hic eſt.
Tu verò quid iam in insomnem hũc lucis filiũ
Propinator veterni, ages,
Princeps nigerrime tenebrarum?
Tuis deſperare militibus, & armis potes,
Quando Ignatius
Dauidicæ illi ſe turri iam credidit:
Ex qua mille clypei pendent,
Omnis fortium armatura.
Et cum vigilare militia ſit,
Vigilia militare,
Senties aduerſum te quàm ſtrenuè ille militet;
Qui in hoc ſui ardore ſpiritus
Tàm vigilat inconniuens.
An ex hoc monte propior Cælo,
Aſtrorum eruditus exemplo,
Sacræ Tyro militiæ
In veteranorum inuidiã tantũ profecit Ignatius?
Militare Deo incipit à vigilia?
Suis in ſtationibus excubans
Vetus ſiderum exercitus
Cæli exercet militiam vigilando.

IN-

INSIGNE XVI.

SPIRITALI SVO INSTITVTORI CONSCIENTIAM INTEGERRIME APERIT IGNATIVS.



In Sacrorum theca lypſanorum deſcripta nomina ſub ambiente cryſtallo ET CLAVSA LEGVNTVR. Suæ arcana Conſcientiæ non claré minus, quám translucido in vitro ſpiritali ſuo Inſtitutori patefecit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XVI.

IN IGNATIVM CONSCIEMTIAM SPIRITALI SVO INSTITVTORI PANDENTEM.

Quas ferrum ex alta rapuit tellure, latebris
Rursus opes altæ condit auarus humi.
Nam satis haud tutum, nisi cum tectum, æstimat aurū:
Quod si ulli patuit, vix putat esse suum.
Seruat opes aliter virtus: sua cuncta Magistro,
Vt lateant furem cuncta, patere iubet.
Sic potitur, nec furta timet. Tua solus habere
Vis tutus? tectus ne tua solus habe.

ELOGIVM XVI.

Dies pariter cogitantem antiquos,
Et annos in mente habentem æternos;
Hoc est, retró simul, & ante
Quisquis te spectantem videt, Ignati,
An non ille iure te sanctiorem quidem,
Sed bifrontem Ianum appellet?
Qui tamen
Cū bellū Tartareo indixeris hosti perpetuum;
Tui Templo cordis
Spiritali Institutori semper aperto,
Magnæ opis, & victoriæ omine
Nunquam Clusius,

Sem-

Semper debeas ſalutari Patulcius :
Et humani arcem cordis
Cingere quidem poteſt , & quatere ,
Sed expugnare illam , & capere
Tamdiù non poteſt acies Tartarorum ,
Quamdiù ſpiritalis militię Præſectus
Sit in illa conſcius arcanorum .
Ità prępſidium hanc in arcem Deus
E Cælo quidem ſemper ,
Sed via ferè ſemper infert ſecuriore per terras .
Iam quiſquis ſingulari inſtat triũphare victoria,
Bicipiti cum hoſte
Certamine dimicare fugiat ſingulari :
Nimirum hic etiam excitus ab Inferis ,
Nec Hercules contra duos .
Qui ſolus cum ſolo ſi dimicet ,
Cum pluſquam forma tricorporis vmbræ ,
Pluſquam Giges ſit , Briareuſque centimanus ,
Vbi committenda eſt pugna cum geminis ,
Nec vnum , quo fidere, corpus ,
Nec vnam , qua poſſit fodere , manum habet .
Quid? arcanos hoſtis, ſubterraneoſque cuniculos
Vt exitũ in auras efflare poſſis inani ,
Apertâ magiſtro tuo Conſcientiâ ,
Hoc animus tuto pateat ſpiramento .

INSIGNE XVII.

MOLESTISSIMI CONSCIENTIAE SCRVPVLI AB IGNATIO IN PRIMO VITAE MELIORIS EXORTV VINCVNTVR.



AD PRIMOS VICTA CALORES Solis in exortu nebula euanescit. In primo spiritus feruore quantam animi nebulam molestissimis excitam scrupulis dissipauit Ignatius!

EPIGRAMMA XVII.

IN CONSCIENTIAE SCRVPVLOS AB IGNATIO VICTOS.

Tænaream fundens ex ore tenebrio noctem,
(Quis credat?) nimium cernere dat tenebris.
Cernere dat nimium, nihil et dat cernere, vt idem
Inde premas dubium cœcus, & Argus iter.
Nil Loyola videt, timet et tàm multa; sibique
Dum vana horrescit vulnera, vera facit.
Quid, Loyola, times, cum sit tàm vincere pronum?
Hostem hunc non pronum est vincere? nosse sat est.

ELOGIVM XVII.

Hũc verò liguritorem scelerum voracissimum,
Artificem propterea scrupulorum,
Humanæ mentis ventosum sanè hostẽ, & vanũ
Suis tamen præstigiarum, & fraudum
Tutum latebris & dumis implicitum,
Maior Ignatio labor fuit
Inuenire, quàm vincere.
An verò facilè illum
Dignoscere quisquam possit, aut cernere,
Qui laruaticus totus est,
Et filius tenebrarum?
Quis verò capiat illum, & teneat,

Qui

Qui ſui corpus exercitus
Totum vanis conflat ex vmbris ?
Proinde cum viribus quatiendo non poſſet,
Obſidione famis
Hunc ad deditionem cogere tentauit Ignatius:
Quando ſeptem ſolidos dies nullo vſus cibo,
Certus aut illum inuentum conficere,
Aut ipſe quærendo deficere,
Infractâ nunquam ſepſit conſtantiâ perſequēdi:
Sed fugitiuus, & contumax,
Vt teneretur, & cederet,
Suis extrahendus è latebris,
Eidemque ad ſpiritalem Inſtitutorem tracto
Sua, qua ſe tegebat, perſona fuerat detrahenda.
Tum verò, quem ſcrupeum, & inflexum
Tot affli&tando ſe duris, & aſperis
Mollire nequiuit, aut frangere:
Animo in obſequium molli,
Suum Ignatius hoſtem comminuit, & contriuit.
Sui nempe Moderatoris imperio cibum ſumpſit:
(Tanta Obedientiæ vis eſt)
Quicquid á ſcrupulis indigeſtum erat, abſumpſit.

INSIGNE XVIII.

IEIVNIIS SE AD MVLTOS DIES PRODVCTIS EXHAVRIENS, MIRA SPIRITALIVM RERVM VOLVPTATE PERFVNDITVR.



Vt Musicum organum sonum edat in fistulis, PER INANIA SPIRITVS necesse est concipiatur, & permeet. Vt se ieiunijs exhausit, inanemque fecit Ignatius, suum animum diuino spiritu cum voluptate sensit impleri.

EPI-

EPIGRAMMA XVIII.

IN PRODVCTA AD MVLTOS DIES AB IGNATIO IEIVNIA.

Exuerat vestes, pretiosum pondus: euntem
Et procul, et properè nempe retardat onus.
Nunc etiam vires adimunt ieiunia: euntem
Num procul, et properè robora fracta iuuant?
Inualidus Loyola, exsuccus, anhelus, obire
Ille valet mortem, non valet ille viam.
Festinat tamen, et Cælo festinat: in auras
Contempta cursu præpete fertur humo.
Forte petat robur terræ via perbreuis; ingens
Cæli iter infracto robore conficitur.

ELOGIVM XVIII.

Concentum virtutis, quo nihil suauius,
Non nisi asperam modulando vitam edideris,
Cuius canoris delicijs
Molliores tum cantes aperies,
Cum voluptatibus terrarum omnibus
Penitus in te guttur eliseris.
Vt igitur dulcissimè canat hic Cycnus
Morum senium in iuuentutem apropera.
Tunc instar victuri semper, carus Superis,
Videri poteris æternitati præcinere,

Cum mox morituro ſimilis
Vitæ epicædium canere tui oſor inſtiteris.
Et cæleſtium orbium melos emodulatiſſimum
Ideò terris efficitur inauditum,
Quia (vt ille dixit) circum hominum aures
Confragoſa nimiũ hæc humana nũc perſtrepũt.
An nõ igitur Cælo auritos exhauriẽdo nos facim9,
Qui ideò benè Cælum non audimus,
Quia oppleti humanis, & obruti
Apud Cælites non audimus benè?
Per voluntarias pœnas
Humanis ſibi omnibus interdicit Ignatius.
Tùm linguâ, & auribus
Huic terrarum exilio peregrinis.
Tàm percipi ab alijs,
Quàm alios non poterat ipſe percipere:
Miraculum nempe factus, & admirator
Quòd nihil ipſe, niſi Cælum diceret,
Omnia audire vellent alij, præter Cælum.
Interea Ignatij vocem
Benè Cælum, & audijt, & percepit,
Qui nempè cæleſti lingua, operibus loquebatur.



IN-

INSIGNE XIX.

DAEMON IN VARIA SPECTRA SE INDVENS AB IGNATIO BACVLO ABACTVS SAEPE CONTEMNITVR.



Fœda licet, horridaque ſit perſona, vel larua. COGNITA RIDETVR. Infernum anguem varias, horridaſque imagines induentem, quia laruaticum nouerat, per contemptum, vel baculo abigebat Ignatius.

EPIGRAMMA XIX.

IN MALVM DAEMONEM AB IGNATIO ABACTVM BACVLO, ET CONTEMPTVM.

Horribiles dum Larua Erebi ſe vertit in angues ,
Loyolam orantem territat , an metuit ?
Sibilat illa diù , & ſinuoſa volumina torquet :
Mentem non hic adſpectra , nec ora mouet.
Aut aliquid ſi quando mouet , tremefacta rotatum
Aſpiciens baculum larua repente fugit .
De Styge , de Lybie fœcunda erumpite monſtra :
Hoc fatum eſt , ſemper Scipio monſtra domat .

ELOGIVM XIX.

Delicias ex pœna facturus
Vetus, & veterator anguis ,
Terram olim damnatus comedere ,
Morſus ſuos terræ vertit in filios .
Et fame irritatâ , vtinam irritâ ,
Gurges ipſe ter reprobus ,
Cibum ſemper opſonatur electum .
Nimirum , ignem , qui nunquam dicit, ſufficit,
Cum duro alat in ſtomacho
Adhuc delicatus , & mollis
Dapes quærit , inhiatque tenerrimas :
Ità nouum induentes hominem ,

Hoc

Hoc est, quasi modò genitos infantes,
Deterrimæ vt immolet morti,
Vitæ melioris libare tentat exordia.
Terrores proinde, aut errores immittens,
Quà minitando, quà mentiendo
Alterutrum moliri non desinit,
Vel sanctitatem exturbare consiliorum,
Vel perturbare consilia sanctitatis.
Verùm Ignis iam cæperat Ignatius esse
Ardens, & lucens:
Laruaticum feruore suo anguem incendens,
Ingesta sibi sua in illum terriculamenta regessit:
Sanctitatis radio, & Sole perculsum
Suis cum erroribus erronem fugauit in tenebras.
Quid? mastigiam versipellem
Baculo Ignatius abigens per contemptum
Vbi verè fecit in cute ficta liuentem,
Parasitatum de alieno qui venerat,
Proprio dedit liuori pascendum.
Sanctitatis ad sarcinam
Factus Deo erat Ignatius, vt iumentum:
Factus est & Dæmon vt iumentum Ignatio,
Sed ad verbera.

INSIGNE XX.

SPIRITVS BONOS, MALOSQVE SVO EXPERIMENTO DISCERNERE DISCIT IGNATIVS.



Amphora mathematica inclusam aquã seù densiorem, seù rariorem ostendens, SCIT FRIGVS, ET ÆSTVM. Expertus ipse quid virtuti calorem, quid frigus afferret, vtrumq; spiritũ gelidũ, feruidũq; bonũ, & malum discernebat Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XX.

IN IGNATIVM BONOS, MALOSQVE SPIRITVS DISCERNENTEM.

Tartaream, Pluto, iubaris tege ſyrmate noctem:
Et Stygia Zephyros effer ab Aeolia.
Arcanas Loyola tuas Sol diſcutit vmbras,
Spiritus & ſentit non bona flabra bonus.
Sed tu etiam, prodit mihi ſe ſe Ignatius, inquis:
Atque vides, illo in nomine quid lateat.
Credo tibi? mendax, & cæca es talpa: ſed ipſe,
Vror ab hoc, inquis, nomine: credo tibi.

ELOGIVM XX.

Chimicum agit Ignatius:
Eius in fornacula ſpiritus diſcernuntur.
Ars enimverò ſubtilis,
Quæ cum circa ſpiritus tota verſetur,
Pluſquàm mathematicé
Omni penitus abſtrahit à materie.
Quam porrò empyricus ille eſt,
Qui ſpiritalis artis exercitatione tàm intima,
Bonorum pariter ſpirituum, & malorum
Quintam ſcrutando nouit naturam elicere?
Tu verò adulterini auri
Corruptiſſime trapezita,

In

In oculatum ſanè menſarium incidiſti:
Proinde tuæ præſtigias monetæ,
Perambulante in tenebris negotio
Supponere illi fruſtra tentabis,
Quando ad lapidem Ignatij lydium exploratus,
Tuâ corruptelâ deprensâ iam decoques.
Tum verò alieno ære,
Hoc eſt, tuo te grauem ſcelere
Sic ille proſcribet,
Vt tua, quotquot ſunt, omnia planè bona
Publicæ palam haſtæ ſubijciat,
Cum tua omnia, quę nouit intimè, mala,
Suæ vocis pręconio
In corona omnium publicabit:
Quo interim exitu?
Eo nempe, cuius te ſic pudeat, vt rumparis.
Quando ad hanc haſtam
Tàm multos accedere licitatum videris,
Fructuoſæ ſcilicet rei emptores,
Quia artis tuæ perditiſſimæ contemptores.
Quid? prauum & inſcrutabile cor eſt hominis?
Dæmonis in illo deterrimi
Prauiora conſilia perſcrutatur Ignatius:

IN-

INSIGNE XXI:

IN MINORESSAE SPELVNCA LATENS AD OMNEM SE SE VIRTVTIS PERFECTIONEM IGNATIVS EXCOLIT.



Sub ſipario ſtatua **CELATVR DONEC CÆLETVR**:In Minoreſſæ ſpeluncæ latebris omnium remotus ab oculis, perfectum virtutis ſuæ ſimulacrum expreſſit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XXI.

IN VOLVNTARIAS POENAS QVIBVS SE IN MINORESSAE SPELVNCA AFFLICTAVIT IGNATIVS.

Cantaber hos Brontes ictus? hos Aetna tonantes
Hispana è terris mittis in astra globos?
Fulmina num Cælo cudit noua Mulciber, vnde
Tartareus recidat fractus in antra Gigas?
Nempe Mimas Erebi tua cernens verbera, & ignes,
Te Fabrum, Ignati, & fulmen adesse timet.
Nomen ab Igne trahis, factusque es vulnere claudus;
Vulcanus veri iam potes esse Iouis.

ELOGIVM XXI.

Tellurem sibi totam excussurus
Cuniculum Ignatius agit in specu.
Igniarium puluerem
Nitratum si quæris, & nigrum,
Mortem illuc intulit meditandam;
Cuius puluis cum à tumuli nocte sit niger,
Adhuc salem habet,
Quia resipiscere docet, & sapere.
Excussâ tellure Cælum in proximo est:
Hoc certè non olim gigantes,
Hoc nunc homines, terræ filij, non intelligunt:
Terrarum non aggestu, sed deiectu

Cælum

Cælum inſcendi:
Cui tunc ſcalas admouemus,
Cum deſcendimus ad inferna viuentes:
An verò non inſcendit Ignatius,
Qui Cælum vt iuſto etiam nomine occuparet,
Cum Dei Filio, hærede Patris nempe legitimo
Inijt Societatem?
Grates nunc Minoreſſæ antro Societas litet:
Si gratus eſt, litet & Mundus:
Suos Ieſus habuit in antro natales,
Suos Ieſu Societas
Huic antro refert exortus:
Pari vtrumque in partum horoſcopo,
Vt & Ieſus, & Socij
Vitam pariter ſuam, & mortem
In ſalutem omnium deuouerent:
Quid? portentoſa ferarum corpora
Naſcuntur in antris?
In antris moriuntur
Portenta immania vitiorum.
n quibus cum affectuum feræ cicures fiant.
Homines ipſi mutantur in Deos.

IN-

INSIGNE XXII.

LIBELLVM SCRIBIT SPIRITALIVM EXERCITIORVM PERMOVENDIS ANIMIS PONDERE, ET ORDINE MEDITATIONVM APTISSIMVM.



Mechanici horologij rotas, vt horas æquè partiantur, & indicent, PONDVS, ET ORDO MOVENT. Spiritalia Ignatij exercitia vt animos cum fructu permoueant, præscripto meditationum pōdere ſimul, & ordine ſunt tractanda.

EPI-

EPIGRAMMA XXII.

IGNATIO LIBELLVM SCRIBENTI SPIRITALIVM EXERCITIORVM.

Pexa Stagiritam commendet barba: tumentis
Defluat in multam ſyrma Platonis humum.
Et macie, et lacero Loyola informis amictu
Dignius et barba, et ſyrmate ſcribit opus.
Nempe Deum nactus tacita ſub rupe Magiſtrum,
Diſcere nil extra hunc, ſcribere nec potuit.
Cuncta alij diſcant alio à doctore; Magiſtrum
Hunc vnum, vt diſcas omnia, ſcire ſat eſt.

ELOGIVM XXII.

Vſque adeò Magiæ exercendæ, vel bonæ
Antra fuere ſemper accommoda.
Deos ex hominibus facturus Ignatius,
Metamorphoſim tantam
Aliâ ne arte, quàm Magiâ efficeret? ſed diuinâ.
Proinde non triformem ex Erebo Hecatem;
Sed Auguſtam è Cælo Triadem:
Non Virginem Lunam, ſed Deiparam Virginem,
Potenti verè carmine
Minoreſſæ deduxit in antrum.
His nimirum Auctoribus
Spiritaliũ exercitiorũ libellum ſcripſit Ignatius.

An verò arcanis refodiendis theſauris
Has ille paginas exarauit ?
Superſtitioſas dicerem ,
Si Lemurum ſpectra inter , & verbera ,
Terrarum nos in ſepulcra deducerent .
Sed Regnum Dei intra nos eſſe dum docent,
Ad Sanctitatis theſaurum
Cum Lemurum cruciatu inueniendum ,
In nobis tantùm inquirendo iubent effodere .
Interea litterarum rudis
Libellum hunc ſcripſit Ignatius .
Tantum ſapuit antè , quàm ſciret ;
Qui difficillimam omnium
Diſcere potuit , & docere ſcientiam ,
Noſſe ſe ipſum .
Et ad arcana clariùs peruidenda
Turbat plerumque mentem ſcientia multa,
Dum inflat :
Hìc , cognito quiſque ſe ſe cum detumet,
Quæ Dei sunt peruidet , quia ſua non ignorat
Adi lector hoc antrum:
Tum ex illo tibi nouum vbi lumen affulſerit,
Veritatis diuinæ Solem
Solitarium ſæpe inueniri noueris inter vmbras.

INSIGNE XXIII.

IN ALTISSIMO MENTIS RAPTV SEPTEM DIES PERSEVERAT IGNATIVS.



Auiculam extra caueam volatu conantē, tenuiq. ne auolet, filo retentā, an nō ſuo modulo dicētē audis, CVPIO DISSOLVI? In eo ſeptē dierum raptu, modicâ illâ, quæ de vita ſupererat, circum præcordiâ, palpitatione, cupere ſe diſſolui animus loquebatur Ignatij.

EPIGRAMMA XXIII.

IN IGNATII SEPTEM DIERVM ECSTASIM.

Carcere membrorum mens Loyolæa relicto,
Libera ſeptenos iuit in aſtra dies.
Et potuit credi defuncta hoc lumine, obiret
Ni circum exiguus languida corda calor.
Quid procul à terris egit, ſi quæris? Ieſum
Dum redit ingeminat: num ſatis explicuit?
Quid? redit à Ieſu membrorum ad vincla? fruendo
Sed bona mens didicit; quid ſit amare, pati.

ELOGIVM XXIII.

Abalienato prorſus à ſenſibus
Septem, Ignati, dies potuere tibi præſcribere,
Proinde aliena tamdiù in poſſeſſione qui fueris,
Nunquam te interim repetens,
Tuus iam vltra non eris:
Et verò, poſtquam decoctor ſplendidus
Amor pectus omne inflammarat Ignatij,
Bonis ſuis omnibus videri poterat planè ceſſiſſe,
Niſi cordis palpitatione pertenui,
Cum poſſeſſione retenta
Exceſſiſſe Dominum indicaſſet:
Qui nempè cum foris tunc maximè ageretur,
Ni-

Nihil planè habebat domi, quod ageret:
Quin rerum omnium& ſummam,& maximam,
Animam fortaſſe tunc egiſſet Ignatius,
Niſi illũ nõ humana,ſed diuina pati voluiſſetDeꝰ:
Et adhuc,diuina vt poſt modum ageret,
Diuina prius illi dedit hæc pati:
Quando Ignatium in eo mentis raptu,
Arcano Deus magiſterio,
Vulgandâ omnibus clã ſciẽtiâ imbuit diuinorũ:
Diſce, lector, otium ſapientis:
Viuere benè tunc diſcit,
Cum videri poteſt planè non viuere.
Et ſenſuum tam longa ſuſpenſio
Labentis vitæ ſic potuit obliuionem inducere,
Vt mortuo ſimillimus
Dies tantùm deinde vixerit æternitatis Ignatius:
Ab omni vacauit opere dies ſeptem:
Quales ferias ſuis ille habebat in faſtis!
Vnum adeò Verbum
Cum Deum tunc loquentem audiſſet,
Vnum hoc redditus ſibi Verbũ deinde reddidit,
Ieſu.
Bonus ſanè diſcipulus,
Qui idem,& ſentit, & loquitur, quod Magiſter.

INSIGNE XXIV.

IN NOSOCOMIO DVM AEGRIS INSERVIT, MVLTORVM CORPORA CVRANS, ANIMOS SANAT IGNAT.



Laceram veſtem artificis induſtria ſolers DVM REFICIT ORNAT. Ægritudine fractos in Noſocomijs Ignatius ſic curâ reficiebat corporum, vt illos cultu virtutum, & pietatis ornaret.

EPI-

EPIGRAMMA XXIV.

IN IGNATIVM NOSOCOMIO INSERVIENTEM.

Viſcera dum febris, ſanies dum paſcitur artus,
Dumque animos ſcelerum putrida peſtis edit,
Omnibus approperat fortis Loyola mederi,
Et cunctis vnus fit panacæa malis.
Tabenteſque animos per hiantia corpora curans,
Se domat, & ſaniem, quam premit, ore bibit.
Ore bibit ſaniem? ſcelerum nam vulnera ſanans
Præcipit haud virtus pharmaca, ſed recipit.

ELOGIVM XXIV.

Purulenta ſugentem vulnera
Quiſquis Ignatium vides,
Auſpicatò ille medetur inualidis,
Qui tàm fortis accedit ad curam:
Quàm verò profundè hauriat, hinc agnoſce:
Ore cuti ſitienter admoto,
Per extima corporis vlcera
Peſtem exhaurit intimam animorum.
Gnarus quantum ſecuræ ſpei habeat
A prærogatiuo victoria,
In Deum vt erigat, ſtratos inuadit:
Nimirum ſuis corporibus dum metuunt,

Deum timendo , animis cauere docet ægrotos :
Calore febris ſcelerum frigus arcet ,
Et inæquales inter commotæ pulſus arteriæ,
Turbatos ſedat ſpiritus , dum explorat .
In omnium faſtidio ciborum
Manna illos , Angelorum panem eſurire docet,
Qui grauiora in ſceleribus eſculenta cũ quęrerẽt,
Cibum hunc , ideò leuiſſimum ,
Quia efferentem ſe ſupra cæteros , faſtidiebant .
An non hoc eſt, per proxima morti corpora ,
Cadauerum anaſtaſim facere animorum ?
Porrò cum corpore vix vllus ægrotet ,
Sanari qui nolit ,
Quia nolunt,ideò tàm multi animo non ſanãtur.
Vnum hoc , idemque efficientiſſimum ,
Vt ſanari vellent ,
Ægrotantibus animis pharmacum
Præcipiebat Ignatius , & propinabat :
Quantum in illo Deus eſſet hinc diſce .
Curandis animis
Vt ſe quiſquam Galenũ venditet,& Hyppocratẽ,
Huius elementa antidoti
Vnus nouit , & componit Æſculapius ,Deus.

INSIGNE XXV.

MINORESSAE PRAVI AESTIMATORES IGNATIVM APPELLANT HYPPOCRITAM.



Concauo in ſpecùlo nihil cum fide rerpæſentatum aſpicias: ita illud inuertit ſtantia, & RECTA, DISTORQVET. Aliter ne, quàm prauè, æſtimatores de Ignatio praui ipſi ſentirent?

EPI-

EPIGRAMMA XXV.

IN PRAVOS AESTIMATORES IGNATII.

Tota nefas, fomesque mali, sanctum omne profanans,
Virtutem improbitas, qua caret ipsa, negat.
Maiorem humanis Loyolam, aptumque Tonanti,
Vita probat sanctum, liuor at usque negat.
Scilicet an calcat gratis humana? superbus
Aras ille animus, dum petit antra, petit.
Quid tu liuor edax? tumida nil mente superbis:
Vnde probas? aras vertis in antra: probas.

ELOGIVM XXV.

Malas habet aures improbitas;
Apud quam malè audit, & virtus:
Quæ cũ tota ſit vox, totã habet ſuauitatẽ in voce.
Malis verò auribus nũ habet illa oculos meliores?
Sed ipſa iudice ſanctimoniæ geſta,
Hoc eſt lucis opera, tenebræ ſunt.
Cum ſuum caſtigans corpus
Non quaſi aërem verberans diù pugnet Ignatius,
Adhuc leuioribus animis
Auram captare videtur:
Adhuc ab ignauiæ fucis
Fucum, vel in ſanguine ſuſpicantibus
Sycophanta creditus, appellatur hyppocrita.

Qui

Qui pro ſolida ipſi virtute nil darent,
Omnia ab Ignatio putant inani dari pro gloria.
Opes, aiunt, opinioni ſoluit:
Laborum oneribus allaborat honoribus:
Omnium fugit oculos, vt in ore ſit omnium:
Cultu ſordido, gloriæ paludamento lenocinatur:
Perennem laudem eſurit longa fames:
Admirationem inſtant excitare vigilię:
Cõmune demũ cũ hominibus habere vult nihil,
Vt credatur eſſe in communione cum Diuis.
Papæ! quàm probè argutatur improbitas!
Sed, vſque adeò intimè improbi
Nunquam nouere, niſi in cute, Virtutem:
Et cum ipſi ſe nolint,
Alios putant erigi ad meliora non poſſe.
Verùm teſtimonium par vtrinque Virtuti,
Et cum à laudatis laudatur,
Et cum improbatur ab improbis.
A quib⁹ nec probari, aut benè velit, aut tutò poſſit,
Quorum prauitas
Suſpicionem poſſit facere Virtuti non bonam.
Quid iam in Ignatium liuor obgannis?
Audi hoc demum, & rumpere.
Ignatiũ ignari tantùm improbarũt, aut improbi.

INSIGNE XXVI.

MINORESSAE ITEM COGNITA IGNATII NOBILITATE, PRISTINAQVE INTER DELICIAS VITA, IPSIVS VIRTVS IN FAMAM SANCTITATIS ATTOLLITVR.



Confecto iam ſerico bombycem ſuo ex ergaſtulo erumpentem auctum alis an ideò in altum euehit natura volātē QVIA MOLLIA LIQVIT? In ſanctitatis famā euect⁹ ab ijs meritò Ignatius eſt, qui illum Chriſti causâ domus ſuæ delicias omnes nouerant reliquiſſe.

EPI-

EPIGRAMMA XXVI.

IN FAMAM SANCTITATIS IGNATII.

Has patria in cautes ? hæc in ſpelæa penates ?
In ſtrata hæc lapidum culcita mollis ijt ?
Pœdor hic antiqui, macieſque vicaria cultus
Horrentem informi fœdat in ore comam ?
Excubiæ, lacrymæ, ieiunia, verbera, ſunt hæc,
Sunt ea priſca, ſopor, gaudia, menſæ, quies ?
Mollia fluxerunt : ſtatuunt iam dura Coloſſum :
Epigraphem inſcribat gloria ; Sanctus hic eſt.

ELOGIVM XXVI.

Quæſituri opes
E terris irrumpunt homines, vel ad Inferos :
Quàm grati ſunt Inferi!
Quæſituri homines è Tartaro erūpunt in terras.
Porrò ſi Plutonis diuitiæ ſunt, viri diuitiarum
An non ſeruientium potiatur Pluto virorum,
Qui dominantium eſt dominus diuitiarum ?
Age iam, & euge Virtus :
Qui ad ipſa vſque Tartara
Opes contemnendo deijciunt,
Heroas hos in Cælum euehe, vel viuentes :
Nulla non ex parte caducæ illæ ſint,
Auidè cum tenentur :
Magnum aliquid, cum dimittūtur, habēt æternū,
Con-

Contemptus ſui meritum pretioſum.
Poſtquam, & opes fugit,
Et illecebras à ſe fugauit Ignatius,
Nudiſque paupertate iam artubus
Calcaria ſubdidit acutiora pœnarum,
Peruagatâ ſanctitatis famâ
Propoſitum fortibus
Viſus eſt penè comprehendiſſe brauium;
Qui viribus, & corpore
Tàm ſæpè inualidus, ſemianimiſque cũ caderet,
Erectus ahhuc, & animoſus,
Ad virtutis metam
Tota animi pernicitate currebat.
Diuitiarum in molli
Rarus adhuc potuit pedem figere non infixus.
Duro calle dura virtus incedit,
In quo cum inſiſtendo ſemel incalluit,
Nullam deinde habet in via moram,
Quando per cænoſa, quæ declinat, mollia,
Via illi planè nulla fit inuia.
Porrò quid ni ſupra homines
Diuinorum famâ ille feratur,
Qui inter homines
Fame non graditur humanorum?

INSIGNE XXVII.

MORBO LABORANTEM EXTREMO INANIS GLORIAE TENTATIONIBVS IGNATIVM DAEMON AGGREDITVR.



Subiectum in craterem multiplici resiliens lapsu aqua deuoluitur, vt immurmurante cum spuma HABEAT CADENDO TV MOREM Per inteactæ vitæ memoriam malus dæmon animũ leducit Ignatij, vt suarum virtutum gloria tunentem inani, sic delusum extrema deuoluat in ata..

EPI-

EPIGRAMMA XXVII.

IN INANIS GLORIAE TENTATIONES MALO A DAEMONE IMMISSAS IGNATIO.

Singultantem animam ſuprema Ignatius aura
Dum trahit, & mortis non procul ora videt
Dæmonis obiectu virtutes reſpicit, & quæ
Par Cælo attulerant fortia facta decus.
Antra, flagella, fames, macies, lacrymæque, preceſq;
Cuncta ibi, quæ ſumpſit, quæque reliquit, erant.
Spectantique, hoſtis blanda ſic voce canebant:
Euge, io, quantus nomine, quantus eris!
Non potuit veris, tentauit inanibus hoſtis:
Ictus & hic vanus vulnera vera facit.
Quid Loyola? ſuæ ſolidum virtutis in hoſtis
Dum clypeum opponit vulnera, vana facit.

ELOGIVM XXVII.

Altiſſimo ex ſuæ celſitate naturæ Dei Filio
A ſuo tentator ortu ſuperbus auſus ſemel dicere,
Mitte te deorſum:
Demiſsioribus ex Chriſtiana humilitate
Hominum filijs
Idem ab initio homicida iterare non deſinit,
Attolle te ſurſum.
Et ille quidem Deo
Cuius ſolius ſolidæ omnis poteſtas eſt gloriæ;
Inanem in præcipitio tentauit afflare gloriolam:
De-

Hominibus.,
Quorũ ſolidum vnũ eſt fundamẽtum, humilitas,
Inani in gloria immane præcipitiũ machinatur.
An Acherontis Zoilus,
Solidam in virtutem liuore dum rumpitur,
Rumpere tumore ſtudet inani virtutem?
Hinc porrò ſanctiora paſſim capita,
Vano gloriæ ſpiritu ſpiritus nequã afflat, vt inflet.
Morbo laborans extremo,
Capitalem hunc planè ventum
Afflari ſibi Ignatius inferno ſenſit ab Æolo:
Sed importunis afflatibus ſuũ ipſe caput eripuit,
Quando, ne de ſe alta ſapiens
Vento quateretur ſuperbiæ in ſublimi,
Infra ſe planè deſcendit in Tartara.
Igitur corruptæ ſordes, & probra naturæ,
Et ſe in priſtina vita reſpiciens,
Non ſuo ſe ſolùm
Sed ipſius planè Luciferi pede calcauit.
Superbi iam hoſtis, & tume:
En tuos abiectum infra pedes
Inuiſum tibi vides Ignatium: quid eſt ſuper?
Sed quãdo illũ tibi nõ ſucceſſit efficere glorioſũ,
Et hìc, infecta re, tentator abis inglorius.

INSIGNE XXVIII.

SOLA DEI FIDVCIA CONTENTVS EMENDICATAM PECVNIAM IN LITTORE NAVIGATVRVS ABIICIT IGNATIVS.



Amputatis detónſam ramuſculis quis arborem miſeratur ? illa quippe fructuum SPE DIVITE PAVPER eſt frondibus : Deo fidens fructumque fiduciæ ſuæ diuinam opem expectans , pecuniæ frondes inanes Ignatius contemnit , & abijcit :

EPI-

EPIGRAMMA XXVIII.

IN IGNATIVM PECVNIAM ABIICIENTEM IN LITTORE.

Prodige, pauperies tibi quam mendica parauit
Tàm modicam, effuſam in littore perdis opem?
Non ſatis infidum terret te fluctibus æquor,
Ad breuia allidi nudus vt approperes?
Sed tamen ipſe Deo fretus, non decoquit, inquis,
Cui pro theſauro eſt vberiore Fides.
Vecto diues iter parat auro; auroque relicto
Confidens portum à Numine pauper emit.

ELOGIVM XXVIII.

Quàm plenus Ignatius eſt, & plenus Deo,
In quo locum, ne modicum quidem,
Mammona iniquitatis inuenit!
Age nunc: Ignatium qui vehis
Naulum huic tuo ſolue nauita viatori.
Qui pecuniam abijcit emendicatam in littore,
Secluſis omnibus æris vel tantuli curis,
Auream certè ſecum inuehit ſecuritatem.
Vt tuus caro ſtet naulus,
Carior hæc eſt tua nauigatione ſecuritas.
Porrò num cautes timeat ille proſtãtes in mari,
Qui tàm ſolers in littore
Tàm latente cauit à ſcopulo?

Abiecit in arena pecuniam?
Naufragio communi hominum
Dèdit Ignatius in tellure naufragium:
In nauium, nauigantiumque pericula
Raró gratis intumeſcit Oceanus:
Vel mercem ſcelerum, vel ſcelera mercaturæ
Cum inuectis admittens,
Hoc plerumque pretio naufragiorum artificem
Venalem conſueuit habere perfidiam:
Iam veró Carybdim, & Scyllam
Spargat verè aliquis toto mari Neptunus:
Deſinent illa protinus eſſe voracia,
Cum vacuo in Ignatio viderint
Nihil eſſe, quod vorent.
Innatent vndis canora monſtra, Syrenes:
Suas, licet, habeat ſibi ceras Vlyſſes:
Poterit ſanè ille
Crudelem cantus non haurire dulcedinem,
Qui ſurdum ſe ad ſonum probat eſſe,
Vel auri:
Auro non fidit Ignatius?
Nauticam abijce pyxidem gubernator:
Vacua in illius crumena
Tui moderatricem auream inuenies cynoſuram:

IN-

INSIGNE XXIX.

VARIA INTER PERICVLA PROPE PATAVIVM ANXIVS, AB APPARENTE SIBI CHRISTO DOMINO RECREATVR IGNATIVS.

TOLERATAE PROEMIA NOCTIS

Subiectos in flores matutinus ros depluēs, grātus ijs, & largus suo rependit allapsu TOLERATÆ PROEMIA NOCTIS. Varijs Ignatius periculis, noctis, latronum, & viæ prope Patauium cum angeretur, illum apparens Iesus suauissimè recreauit:

EPIGRAMMA XXIX.

IN IGNATIVM PERICVLIS ANXIVM AB APPARENTE ILLI CHRISTO DOMINO RECREATVM.

Aſpicis, Ignati, quantus Sol noctis in vmbras
Emicat, vtque tibi ſit Deus ipſe dies?
Eſto viæ licet ignarus, propiùſque latronum
Inſano graſſans turbine turba fremat.
Carpe tamen ſecurus iter: non te via fallet,
Obuia quando tibi ſit via vera Deus.
Nocte times alta graſſantum examina? latro
Non venit ante Deum, ſi venit ante diem.

ELOGIVM XXIX.

Age vel infortunio grates, Ignati;
Securitatem emiſti periculis.
Curis anxius cum parturires angorem,
Abortum feciſti lætitiæ.
Intempeſta quamquam nox eſt, meridiare:
Quando meræ tempeſtate lucis,
E'medio vmbrarum ſinu,
Sereniſſimam inocciduus
Parit tibi Sol Mundi meridiem:
Iam, vt omni prorſus aberraris à via,
Ieſu ſic inuento,
Minus ſanè feceras, ſi non erraſſes:
Res agens Dei ſolers, ac peruigil
Ani-

Animarum, hoc eſt, Cæli negotijs
Nec diù potes indormire, nec noctu:
Pares retulit tibi grates Deus,
Cuius Sol tanta cum luce
Tuis oculis antelucanus exoritur:
An verò Venalis & Deus eſt?
Sed felicitas in illo ſumma ærumnis venit:
Rerum preciosiſſima quàm vili ſtat pretio!
Et tamen quæ tàm facilè ſit parabilis
Quæſita ſemper, tàm rarò beatitas inuenitur:
Omnis permanat in homines
Ex vna Dei miſeratione felicitas;
Hominum è miſerijs
Naſcitur miſeratio omnis in Deo:
Pro Deo igitur miſer eſſe qui fugit,
Sui Deum miſerentem ille non quærit.
Tu verò viator, Ignati, vacuus,
Vel coram latrone iam cane.
Lætitiam certè animo non debes exuere,
Qui paupertate tàm nudus ſpoliari vltra nō potes.
Tuus eſt in Cælo theſaurus:
Tu in manibus Ieſu es: euaſiſti.
In tàm editum & ærarium, & aſylum
Manus appropinquare nequeunt graſſatorum.

INSIGNE XXX.

VENETIIS NOCTV SVB PORTICV IACENS, AB ADMONITO DIVINITVS SENATORE IN HOSPITIVM EXCIPITVR IGNATIVS.



Quamuis in nube Sol lateat, ab ijs tamen, quæ ſub illo ſunt SENTITVR ET LATENS. Pauperis habitu, vultuque latebat Ignatius: eius tamen virtus, vel ſic celata, Deo illam monſtrante, ſe prodidit:

EPI-

EPIGRAMMA XXX.

IN IGNATIVM SVB PORTICV VENETIIS DORMIENTEM IN HOSPITIVM A VIRO CLARISSIMO EXCEPTVM.

Dum latet, & lucet Loyola, & fulgor ab vmbra,
Quam patitur, noctis, degener exoritur.
Sanguine ter clarum intempesta nocte cubantem
Exciit Hadriaca Numen in Vrbe Virum.
Culcita & in molli te nunc sopor imbuit, inquit,
Ille meus gelido sub Ioue membra locat.
Eripit euigilans se protinus ille cubili,
Loyolamque suum quærit in hospitium.
Sic luces, Loyola, latens: somno excitus ille est?
Attuleras vigilem Sol nouus ipse diem:

ELOGIVM XXX.

Sapientiam nunc, & vmbratilem, & clamosam
In circulis Philosophi, & ambulatione sectamini:
Et in vmbra, sed noctis: & in porticu, sed tacente,
Christi Auditor Ignatius
Sub dio iacens diuinæ Stoæ philosophiam
Discit, an docet?
Sui apud homines Interpretis
Deus ipse factus Interpres,
Clarissimum ex nobilitate Veneta Senatorem
Deduxit ad illum, vel atra in nocte discipulum:
Qui & in porticu, & in lapide

Sen-

Sensu tàm nullo dormientem vt vidit Ignatium,
Stoicum illum suspicari potuisset,
Nisi quòd non Zenonem aliquem
Suspexit in patientia tanta, sed Christum.
Quantus enim Deus Ignatij exibat in vultum,
Cuius in cor tantùm intrauerat, & tantus Deus!
Num verò miserari debuit Senator Ignatium?
Sed virtute, quam vnicè volebat, plenus,
Nihil propterea mali volens
Omnia tunc apparuit habere, quæ vellet!
Non hoc est esse beatum?
O', & pauperem, & inuidendum!
Iàm hìc barbatus dicat ex Lyceo nonnemo,
Lapis super lapidem.
At solidè aliter ædificari non potest.
Hoc proinde lapide super lapidem
Christiana humilitate Virtus
Structuræ suæ posuit in Ignatio fundamentum.
Et hoc Senator demisso suspexit in hospite:
Quando illum supra firmam sanè petram
Tam benè fundatum, aspexit,
Quem suas vt in ædes cum honore deduceret,
Molaris instar lapidis
Ægrè tandem mouere loco vix potuit.

IN-

INSIGNE XXXI.

INVITIS NAVTIS IN CYPRVM NAVIGAT, QVO DESTINARAT IGNATIVS.



Vt contraria ventorum flamina concertent in flammam, quò minus in Cęlum euolet, illam VIS NVLLA RETARDAT. Vt impia nautarum consilia contra Ignatium niterentur, eius tamen Sanctissimis aduersari votis minime potuere.

EPI-

EPIGRAMMA XXXI.

IN IGNATIVM INVITIS NAVTIS NAVIGANTEM IN CYPRVM.

In Cyprias Loyola ratem dum dirigit oras,
Et Cyprio interea deflagrat igne ratis,
Igne ignes casto impuros extinguere feruet,
Flammatumque mari mergere naufragium:
Proxima at impellens puppim in deserta, ferarum,
Aut famis hunc morsu perdere nauta parat.
Ventorum aduersis afflatibus obstitit æther,
Quemque fugit portum nauita, nauis habet.
Numinis impleraṫ Loyolam spiritus: vna
Plus multò hæc remis omnibus aura valet.

ELOGIVM XXXI.

Inauſpicatò ſoluis è portu nauis,
Quæ malè ominoſam ſcelerum mercem vehis:
Vt æquabile, tutumque ſit pelagus,
Adhuc ſcopulis es iniquitatum intuta:
Vt ſerenet Cælum,
Procellas adhuc ſcelerum nimbis cies.
Quin tibi ne ſpes vlla ſalutis affulgeat,
Vnam quã in Ignatio habes Cynoſurã, & tabulã
Perdita funditus

Tuum

Tuum moliris perdere ſeruatorem.
Plenis nauigantia ſinibus
Vnus in nautarum ſcelera reflabat Ignatius.
Remis omnibus connitens ad breuia,
Longum nauigij malum
Vnus idem remora remorabatur Ignatius:
Sed ventum hunc ſecundò aduerſantem
Dum tota dirarum Æolia nauitæ execrantur;
Vim illam cum progreſſu remorantem
Vlteriùs progredi opitulando non ferunt:
Humanæ fidei deſertores, & Dei,
Deſerta ferarum in inſula
Efferati deſerere meditantur Ignatium;
Tam periculosè ſemper
Omnis impenditur cura furentibus:
Vt verò furorum maximus, ſcelus eſt,
Sic furentiſſimus hominum eſt ſceleſtus:
Verùm perfidiam votorum impiam
Fides eluſit, pietaſque ventorum:
Nitentibus nequicquam in ventos nautis
Deſtinatò nauigauit Ignatius:
Et lætari poterat ſatis nauigio ad Cyprũ appulſo:
Sed plus ſatis doluit
Cypri ſordibus è nauigio non expulſis.

IN-

INSIGNE XXXII.

SACRA PALAESTINAE LOCA DVM LVSTRAT, INTER CHRISTI CRVCIATVVM MONVMENTA DVLCISSIMO PIETATIS SENSV PERFVNDITVR.



Quæ ſaxoſum amat ſolum oliua, INTER DVRA DVLCÉSCIT. Per acerba Chriſti cruciatuum monumenta prò quãtum in Palæſtina liquidiſſimæ voluptatis, ac dulcedinis hauſit Ignatius!

EPI-

EPIGRAMMA XXXII.

IN IGNATIVM CAELESTIBVS PERFVSVM DELICIIS, DVM SACRA PALAESTINAE LOCA PERLVSTRAT.

O'mihi amara nimis, nimium quoque dulcis Idume,
Quæ tristi è Domini funere mella liquas.
Mella sed hæc mortem dura hac in morte propinant,
Inde fruens patior, & patiendo fruor.
Dulcedo fit amara mihi, fit dulcis amaror,
Et mihi amaror amans vt sit amarus amo.
Sed mihi amara iubes, Iesu, hæc dulcescere: amoris
Pactus enim dulci est syncope amaror, amor.

ELOGIVM XXXII.

Nobilem quisquis artem
Exercendo discis amandi,
Nisi tibi amara dulcescant,
Mellitam amoris non expresseris confecturam;
Cum patiendi pro Christo votum
Ignatio penitus abisset in pœnam,
Præter votum pœna
Abiuit illi penitus in voluptatem:
Sacra inter Palæstinæ loca,
Dum in libro vitæ mortis relegit characteres,
Barbarisque typis, ex officina Plutonis,
Humanissimam hominis Dei membranam
Litu-

Lituris aſpicit vndique deformatam,
Ab illo didicit volumine
Argumentum omne, & ſuadelam amoris eſſe
Tàm non molliter viuere, quám fortiter mori.
Proinde, errata iam, Lector,
Quæ terrarum in volumina
Hactenus irrepſerunt, hìc corrige.
Index expurgatorius hic eſt.
Diuinum in hunc Ieſu librum intuitus
Dedoceberis actutum benè,
Quod diù humana legens, & ſapiens,
Docente Mundo malè didiceras:
Frui ſcilicet, & pati,
Antiquæ bibliothecæ,
Hoc eſt, veteris hominis in codicibus,
Legiſti hactenus ſemper antitheta;
In noui hominis nomenclatore emendatiſſimo,
Duo hæc ratione inuenies, & experiméto ſynoni-
Noua lectio, ſed probatiſſima: [ma.
Plurimum nempe, vel patiendo fruitur,
Qui plurimum patitur, ſed amando.
Hanc porrò lectionem Ignatius.
Quia tanti facit, intelligit,
Quia intelligit, tanti facit:

IN.

INSIGNE XXXIII.

EX OLIVETO REVERTENS ACERBE A LOCI CVSTODE ACCEPTVS, CHRISTVM DOMINVM SIBI PRAEEVNTEM VIDET IGNATIVS.



Iouis ſatellites, Medicea ſidera, quæ prius latebant, optici beneficio tubi patuere VISA PER ANGVSTVM. Ab Oliueti Custode in anguſtias coniectus Ignatius, Chriſtum ſibi apparentem aſpexit.

EPIGRAMMA XXXIII.

IN IGNATIVM AB OLIVETI CVSTODE DVRITER ACCEPTVM, ET AB APPARENTE IESV SVAVITER RECREATVM.

Hic, vbi in astra redux vestigia fixit Iesus,
Fixerat Ignati lumina longus amor.
Longus, in obtutu nam quæ sit forma, quis ipse
Plantarum positus dum pia cura notat,
Cunctantem increpuit custos, traxitque: sed ipse
Non aliter tractum spectat ab axe Deum.
Iam ne oculis vltra Iesu, vestigia seruet:
Dum patitur, multò plus facit, illa premit.

ELOGIVM XXXIII.

Nimirum de Christi vindemia
Hæc tibi relicta, Ignati, racematio est.
Palæstinæ vineam frustra non obis,
Vetus licet illa sit,
Adhuc tamen est ferax.
Cruciatuum, & mortis,
Hoc est, vuæ fellis liberalis olim in Iesum,
Non est auara nunc
Labruscæ opprobriorum in Socium.
Sed insitum oculare nunc vide:
Suo satori, ac domino vinea in amaritudinē versa,
Vinitori nunc famulo vertitur in dulcedinem:

Quan-

Quando ſylueſtri de contumeliæ vite
Ex oculis apparentis Ieſu
Prorumpentem Ignatius vidit
Botrum Cypri planè dulciſſimum,
Quid enim illo dulcius,
Ex quo dumtaxat viſo, tàm liquido Cæli nectare,
Tantam Ignatius hauſit animo voluptatem ?
Hoc porrò vino ebrius
An non abalienaretur à ſenſibus ?
Proinde dũ in illũ bacchanalia lymphatus exercet
Nec vultum vultuoſum,
Nec manus ſenſit Cuſtodis immanes.
Quid verò tu, Ignati, explorator intrepide,
De hac tellure ſic perluſtrata iam referes ?
Suos ne habitatores ſolum hoc deuorat,
In quo nempe vorare tot impia
Ipſa compellitur pietas conuenarum ?
Sed abſciſſum ad diuini torrentem ſanguinis
Dulciſſimum voluptatis botrum,
Tuæ indicem luſtrationis, ac teſtem
In vecte Crucis exprome.
Per ipſa & acerba, & dura,
Propitiante Pietati Deo,
Tellus omnis gigantũ licet, & monſtrorũ parẽs,
Adhuc amanti fortiter lacte manat, & melle.

INSIGNE XXXVI.

IN MAXIMO FERRARIAE TEMPLO EMENDICATAM PECVNIAM IN PAVPERES DISTRIBVIT IGNAT.



Florum inter areolas medium in puteolum aquam Viridarius CONGREGAT, VT DISPERDAT. Quam pauper ab alijs corrogarat stipem, hanc in pauperes erogauit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XXXIV.

IN IGNATIVM, EMENDICATAM PECVNIAM PAVPERIBVS IN MAXIMO FERRARIAE TEMPLO EROGANTEM.

Exiguam, pauper quam corrogat, erogat idem
In populi turbas largus egentis, opem.
Hæret in obtutu Ferraria: ſcilicet vnde
Arcta crumena eſt in paupere, larga manus?
Sunt hæc, ſunt magnis digna hæc miracula Templis,
Quæ Templum attonita maius in Vrbe videt.
Iam duras occlude fores opulentia: dextram,
Ad quam confugiat, pauper egentis habet.

ELOGIVM XXXIV.

Inepta oneri vera Chriſti paupertas eſt:
Quicquid ſupra modicum ſit, ferre non poteſt.
De alieno Ignatius precario victitans,
De ſuo alios precatur, vt viuant.
Vſque adeò, ſuo, & modico ſe ſe libens exonerat.
Quid? pauper ille ſatis eſt,
Qui relictis omnibus,
Ad ſuam tolerandam vitam rogat, vt corroget?
Quantò ille pauperior,
Qui corrogata omnia
Ad alienam alendam, rogat vt eroget?

Corona circa Ignatiũ fit auida ſimul, & frequẽs:
Quis,& hunc, & hos pauperes diceret?
Prodigium hoc tamen vidiſti Ferraria,
Pauperem largientem.
Iam verò quonam ſingulari ſe nomine
Diuites vindicabunt à cæteris,
Si, quod hactenus opum fuerat, opem ferre,
In ſua ſibi inopia commune fecit hoc pauper?
Sanctus proinde Ignatius audiuit ab omnibus:
Viſus nimirum ſemper
Plus dando, quàm accipiendo lætari,
Ad Deũ ſcilicet propiùs accedebat ab homine,
Cui beatius eſt dare, quàm accipere.
Quid? pauperes mẽdicare nõ puduit à tã inope?
Sed in ſanctitate tàm diuite,
Nec cenſum deeſſe illi ſenſere, nec fundum,
Qui cum tot haberet in numerato virtutes,
Adhuc ſtabilia ſua, quotquot habebat bona,
Mutabili nunquam vno fundabat in Deo.
Audite iam, ſed procul inuidiâ, Cælũ, & Cælites:
In iſta diuitum domo, largitatis in gloriam,
Munificum vobis, dignumque Cælo viſum eſt
Scripſiſſe pro foribus: Petite, & accipietis:
Ab Ignatio paupere accipiunt, qui nec petunt.
IN-

INSIGNE XXXV.

PRO SPECVLATORE HISPANIS A STATIONIBVS HABITVS, CORAM PRAEFECTO MILITVM, IGNOMINIAE APPETENS, FATVI MORES IMITATVR IGNATIVS.



Incerto actus impetu papyraceus tubus ignem per obliqua circũferens, FVRIT QVIA FERVET. Spiritus ſeruore ſuccenſus, indignatus ſibi, quòd imminens probrum meditatus eſſet effugere, ad accipiendã contumeliam, amentiam ſimulauit Ignatius.

EPIGRAMMA XXXV.

IN IGNATIVM IESV APPARENTIS ASPECTV DIGNATVM, DVM A MILITVM CVSTODIIS INDIGNE, VELVT AMENS ACCIPITVR.

Hoc ſapere, Ignati, eſt? fatuum ſimulare? ſapiſti,
Si probra, queis inhias deſipiendo, voras.
Non Cyclopæis magis incus duriter antris
Tunditur, vt fuſtes in tua terga ſonant.
Hinc aſpernantem famæ te, & dura ferentem
Audijt, & vidit pronus ab axe Deus.
Et ſimilem ſpectans ſimilis ſpectatur, & ipſe,
Vt tu te poſſis cernere, fit ſpeculum.
Lixa time: Loyola ſubit ſpeculator? in illum
Quid pecces, Ieſus en ſpeculator adeſt.

ELOGIVM XXXV.

Vt errabundi viſus eſt habere vultum Ignatius,
Speciem ſtationi prætulit ſpeculatoris.
Sed quicumque palans errat,
Illum aliena ſolum ſpeculari non dixerim:
Illud affirmare certò non dubitem,
Aliena ſolúm qui ſpeculatur, errare.
Ignatius interim
In ſe dumtaxat aſſuetus inquirere
Tanquam explorator Præfecto militum
A cu-

A custodia sistitur agnoscendus.
Et Ignatio quidem tàm sordidæ notæ ludibrium
Cum maius multò videretur,
Quàm quod totius vorare posset hiatu virtutis,
Honestioribus verborum officijs
Contumeliam meditatus est primò redimere:
Brutam deinde meticulosi animi stoliditatem
In hac prudentiæ suæ humanitate redarguens,
Vt melius saperet, simulauit insaniam.
Sed in seria scena virtutis,
Amens in speciem verè vapulauit Ignatius.
Verbis nimirum acribus,
Dum à Præfecto milites arguuntur, vt stolidi,
Quippe qui stolidum
Seriò apud se veluti speculatorem arguerent,
Suam verborum mulctam
Verberibus sanè multis
Cum fœnore locarunt Ignatio.
Bonus interea negotiator lucra hæc sua
Trapezitæ Dei collocauit in mensa.
Et ille illicò spectans, ac spectatus admisit:
Non hoc est maturos protinus
Ex frenore fructus accipere?

INSIGNE XXXVI.

ANNOS NATVS TRES, ET TRIGINTA, AD CERTIOREM FRVCTVM SALVTIS ALIENAE PARANDVM, PVEROS INTER PRIMA GRAMMATICAE ELEMENTA DISCIT IGNATIVS.



Grandiori iam trunco ramuſculum quicumque inſerit, næ ille ad fructum inſerit, NON AD VMBRAM. Puerilia Grammatices elementa in virum iam adultus addiſcens, vanas ne gloriolæ frondes, an ſolidum ſalutis alienæ fructum quærebat Ignatius?

EPI-

EPIGRAMMA XXXVI.

IN IGNATIVM TRICENARIO MAIOREM GRAMMATICAM CVM PVERIS ADDISCENTEM.

Disce, rudimenta Ausoniæ puerilia linguæ
Disce vir, Ignati, factus amore Puer.
Hæc disce, & sapienter amans dabis Emmanuelem,
Quando nobiscum tu dabis esse Deum.
Omine quin huius Soboles tua nominis, olim
Grammaticam tradet, tradet & ipsa Deum.
Quid? latiam solùm tradet linguam Aluarus? vt sit
Cum Pueris Deus, hoc inseret Emmanuel.

ELOGIVM XXXVI.

Qui pueros inter vt paruulus efficitur,
Regnum, opinor, Ignatius cæleste vult ingredi.
Triginta natus annos,
Litterarum Infans, discit balbutire grãmaticam.
An librum vitæ cæteris euoluendum,
Ritè vt ipse prius intelligat,
Suam incipit euoluere vitam in libris?
Periculosè quippe docet, qui nõ didicit ordinatè.
Et cum longè aliæ viæ sint hominum, atq; Dei,
Adhuc diuina, non nisi per humana,
Fluxu nimirum solito illabuntur.

Scien-

Scientiam, quam in homine Deo ſuſpiciebat,
Conſuetum habere ſuſpectam,
Phariſæum Mundum eruditurus Ignatius,
Litterario ſe ludo volens incluſit,
Ne vetus illa, & ſtolida admiratio,
Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?
Quemquam vel indocilẽ faceret, vel incredulũ.
Conſilium interea optimum
Cum, & ſpes, & ſpecies interuerteret meliorum,
Ità ſe ludi magiſtro tradidit inſtituendum,
Vt cui iã Viro ſeria importunè vellent illudere,
Niſi ſatis penſo faceret communi cum Pueris,
Cum Pueris vellet ferulam pati communem.
Puerile in Ignatio quiſquam hoc reputet?
Virum ſe verè tunc ille probauit,
Cum Vir ferulæ ſe ſubiecit, vt Puer.
An verò ex quo tantum virtutis exibat,
Illũ in animũ elementa grãmaticæ nõ intrarẽt?
Atque hic poſtquam Ignatium non puduit
Litterarũ fruſtula ſumere cõminuta cum Pueris,
Splendido poſtmodum, & adijciali conuiuio,
Vltrò illi Sapientia omnis
Breui ſe tradidit deuorandam.

IN-

INSIGNE XXXVII.

IMPORTVNAS ILLVSTRATIONES MALO A DAEMONE IMMISSAS OBTRVDI SIBI SENTIT, EASQVE REPELLIT IGNATIVS.



Patenti libro impoſitum accenſa cum face candelabrum legenti NON EXPEDIT, DVM IMPEDIT obtegẽdo. Et quæ animũ auocarẽt à ſtudijs, interiecta malo à Dæmone impedimenta, non collata à Deo munera, importunas repulit illuſtrationes Ignatius.

EPIGRAMMA XXXVII.

IN IMPORTVNAS ILLVSTRATIONES MALO A DAEMONE INTER STVDIA OBTRVSAS IGNATIO.

Perdere conuiuas ſatis Heliogabale non eſt,
Ni ſpecie funus dona ferentis eat?
Floribus incluſus mucro eſt, feritaſque timeri,
Exitio vt perdat deteriore, negat.
Grammaticæ vepres inter, Loyola, quis iſte
Flore voluptatum nimbus in ora pluit?
Aſpicis, et Stygium ſentis in flore Tyrannum,
Hoc te, dum mulcet, perdere flore parat.
Aſtibus aggreditur? deſperat viribus: offert
Cur flores? vepres nam timet ille tuos.

ELOGIVM XXXVII.

Ità ne verò, ſycophanta Tartaree?
Quæſtionē de re grauiſſimā facturus in nomine,
Vna in voce, verboque verba dabis Ignatio?
Amoris nomen nō vis ab illo declinari per caſus,
Sed per caſus omnes illū declinare vis ad amorē:
Dū amandi verbū neſciat coniugare per tēpora,
Tempus omne nouerit amando conſumere.
Hoc eſt, vt Deum auferas, offers Deum:
An puerorum illicio, captari dulcibus poſſe
Repueraſcentem exiſtimas?

Tui

Tui proinde poculum amaroris, & odij,
Mellita amoris in patera
Propinas vltro pincerna veneficus.
Grammatices elementa memoriç dum mandat,
Hoc eſt, addiſcentis pueritiæ
Alimenta dum mandit,
Cæleſtium interiectu cogitationum,
Cibo nimirum, & ſapientum, & grandium,
Mirari cæpit Ignatius
Gratis ſe in Apolline conuiuari tàm ſplendide
Sed cum diú ſtudens nihil addiſceret,
Veri famem ieiunij in menſa ſenſit vmbratili.
Euanidis igitur ſolida vt ſuccederent,
Frugalibus ſplendida permutauit.
Grāmaticæ firmiús hæſit, certiús vt teneret Deū.
Ità ſuauis amor ſæpè decipere,
Fortis decipi raró poteſt.
Et quæſita lenocinatur plerumq; fraudi voluptas,
Seruit ſecuritati contempta.
Denique dulcia illa bilem Ignatio conciuere:
Sed eius vim totam in impoſtoré effudit:
Dum, quidquid deceptus hauſerat,
Eiurando ſtatim euomuit.
Diſce Lector:
Altum ne ſapiat, ſapere qui vult tutò.

IN.

INSIGNE XXXVIII.

OB RESTITVTAM VIRGINVM COENOBIO DISCIPLINAM VAPVLAT A PROCIS IGNATIVS.



Suam incus ſoliditatem auget validos à Fabris ictus FERENDO, NON FERIENDO. Dũ vapulat Ignatius, non impotenter vlciſcendo, ſed patiendo fortiter virtutem ſuam efficit ſolidiorem.

EPI-

EPIGRAMMA XXXVIII.

IN IGNATIVM IMPVROS AMATORES, A' QVIBVS VAPVLAT, AD DEVM EXEMPLO PATIENTIAE CONVERTENTEM.

Tecta labant, tecta vnius, Loyola, pudoris
Prò quanto impellunt ariete mille proci!
Nunc suppone humeros, nunc obÿce pectus, & vna
Stet fulcro, & vallo te subeunte pudor.
Ecce ruunt moti dira cum grandine fustes,
Totaque in Ignatî terga procella tonat.
Tota tonat, tota in Loyola & detonat, inde
Fœda lues cecidit fracta, stetitque Pudor.
Amentum indomitus furor hic resipiscit amantum:
Fitque ità: sæpè alios verbera nostra domant.

ELOGIVM XXXVIII.


Murum se sceleri, & arcem
Obijcere non debebat Ignatius,
Nisi sceleratorum vellet verberibus arietari.
Vehementior nunquam, & ocior
Assurgat in arma Gradiuus,
Quàm Veneris suæ filio, vel strato in castris,
Vel de castris fugato Cupidine.
Vim tamen hostilem, & verbera
Nulla sustinent mœnia erecta magis, & tuta,
Quàm quibus Patientia pro vallo est,
Caritas pro structura.

Sacræ pudicitiæ labantem arcem,
Excepta verberum grandine
Ignatius cadendo suffulsit:
Tum hostiles amantium impetus
Fractus ipse corpore domuit tolerando
Atque ità deiectus, afflictusque solo
Cælum integritatis vtraque parte
Seruauit Virginibus, procis aperuit.
Porrò Medusæos qui angues
In Gorgone gestabant sui liuoris, & odij,
Vt saxea duratum patientia viderunt Ignatium,
Iuuenes ipsi facti planè sunt, admirando, lapides.
Quid? potuit tunc de lapidibus his
Suscitare Deus Abrahæ filios,
Quando puriore amplexu Castitatis, & fœtu
Amentes iuuenes, eiuratis amoribus,
Cum Inferorum luctu
Risus Cæli protulit Isaacos:
Doluit hìc, gemuitque lanista Tartareus.
An fustuarium Lemurem inuidiâ liuidum
Vapulans fecit Ignatius verberonem?
Et nunc neget aliquis viri esse fortis, pati:
Sed, in alijs etiam affectuum potentissimum
Profanum vincit amorem:

IN-

INSIGNE XXXIX

SVSPENDIOSVM HOMINEM TAMDIV' A' MORTE REVOCAT, QVAMDIV' PER EXPIATA PECCATA EIVS ANIMAM SALVTIS, VTI SPES EST, IN LOCO CONSTITVAT.



Quèm ſua ſtantem in baſi obeliſcum aſpicimus, ex alta tellure ERVTVS ET ERECTVS eſt. Hominem Ignatius, qui in laqueum caput induerat, mortis è barathro eruit, vt illum æternam in ſalutem erigeret.

EPIGRAMMA XXXIX.

IN SVSPENDIOSVM HOMINEM AB IGNATIO A' MORTVIS EXCITATVM.

Indueris laqueum? sed ius sententia nuper
Quam ciuile tulit, non capitalis erat
At pendere libet, quia pendere cogeris aurum,
Quo leuis amisso, fit tibi vita grauis.
Culpæ igitur tantum traheret te pondus in Orcum
Loyola ex Orco sed retrahente redis.
A' Styge te reuocat: dein ore, manuque Sacerdos
Absoluit: liber crimine rursus obis.
Vita grauis tibi nuper erat, quia perdidit aurum:
Facta tibi mors est, dum dedit astra, leuis.

ELOGIVM XXXIX

Postquam lite iam perdita decoctor infelix
Bonis se vidit omnibus depauperatum,
Omnibus ditandus malis festinat ad Ditem.
Et viuendi difficultatibus cũ vndique vrgeretur,
Solutionem iuxta infelicem, & malam,
Laqueum excogitauit.
Argumenti vim malè tentauit
Insolenti fallacia cauillator eludere:
Qui suam ne penderet in numerato pecuniam,
Pendendo, hominum se se deleuit è numero.
Ità

Ità ære grauis alieno, releuaturus se se
Ipse se sustulit in suspendium.
Ciuilis damna sententiæ
Capitali luens sua sponte supplicio,
Quo haberet in loco mentem ostendit,
Cuius caput sententia perculit,
Quæ petebat crumenam.
Hominem verò miseratus Ignatius,
Quem magnis videbat supplicijs
Æterni fore carceris debitorem,
Apud supremum Iudicem
Caritate locuples vadem obijt pro decoctore.
Nec sponsoris fidem fefellit Deus.
Salutis fœnori tamdiù homini vitæ dedit vsurã,
Quamdiù confessione lustrali,
Et vitam à scelere expiaret, & mortem.
Mẽtis impos rationes suas quã malè subduxerat,
Qui nil reliquum sibi fore cum cerneret,
Suum inane desperatione tùm supplens,
Apud Plutonem thesauro se malorũ implesset,
Nisi suspendiosi laqueum expedisset
Ignatianæ funiculus Caritatis.

INSIGNE XL.

ARDENTISSIMIS IN PRECIBVS EXCLAMARE PASSIM AVDITVR IGNATIVS: O' DOMINE SI TE HOMINES NOSSENT.



Cordatus cicadulæ CANTVS AB ÆSTV Solis, quo illi pectus incalescit, efficitur. Tàm ex animo intimè inter preces exclamat Ignatius, quia ab imis precordijs, ad Solis diuini radios totus, dum orat, exæstuat.

EPI-

EPIGRAMMA XL:

IN IGNATIVM SVAS INTER PRECES EXCLAMANTEM, O' DOMINE SI TE HOMINES NOSSENT!

O' Domine, ò si homines te nossent! clarus, & ardens
Loyola ardoris voce loquentis ait.
Non aër, non ignis obest, non astra Tonantem
Nosse, nec astrorum cærula Templa negant.
Omnia translucent, transmittunt omnia, nostras
Et luces ipsum Numen ad usque ferunt.
Sed quam supposuit pedibus natura, profanis
Nos terram curis in caput efferimus.
Tellus nos supra, tellus stat opaca: quid ergo?
Interiecta Deum noscere terra negat.

ELOGIVM XL.

Leue onus Sanctitatem esse quis neget,
Quando & corpus in ecstasim à tellure suspensũ,
Ab ipsâ leuitatem discens
Centrum ponderis habet sursum?
Humo Ignatius relictâ, toto corpore fertur in Cæ(lũ:
Et ne laborem existimes, modulatur.
Quàm porrò suaue iugum illud est,
Quod ferri vel canendo potest?
O' Domine, inquit, si te homines nossent!
Tum arbitratus ineffabile

Quid futurum esset inde, reticuit:
Immò & vultu, & toto corpore explicauit.
Ardens quippe, lucensque
Deum, qui ignis est, si nossent homines,
Nec ardentem lucem, nec lucentem ardorem
Defuturum ijs fuisse Ignatius loquebatur:
Sed telluris frigidæ filij (lucẽ:
Adhuc tenebras magis homines amauere, quàm
Qui enim Deum, quem non vident agnoscant,
Si se ipsos, quos & tractant, ignorant?
Rursum, vbi Deum
Tàm dissito à terris Cælo eleuatum inueniant,
Si præter se, aliud in tellure non quærunt?
Quãquã in ipso dũ & viuim⁹ & mouemur, & su-
Nõ longè Deus est ab vno quoq; nostrum. (mus,
Vsque adeò nec benè nos quærimus,
Qui nec Deum, qui intra nos est,
Quærendo nouimus inuenire.
Quantus interim magnes est amor!
Suam vbi vim animo totam affricuit,
Suum animus secum trahit & corpus.
Sursum cum animo corpus Ignatij fertur orãdo?
Non amat deorsum.

INSIGNE XLI.

INFENSVS IGNATIO, QVO DIE ILLVM DIGNVM FLAMMIS APPELLAT, REPENTINO, QVOD SIBI AD SVI DICTI FIDEM IMPRECATVS ERAT, CREMATVR INCENDIO.



Nauim aſpicis fatiſcentèm ad ſcopulum: in hunc illa cum impetu allidens VERBERE FRACTA SVO eſt. Suo ſe maledicto repentinum in ignem egit infenſus Ignatio, qui ſolidam illius virtutem conuicio linguæ tàm improbo verberauit.

EPI-

EPIGRAMMA XLI.

IN HOMINEM IGNATIO INFENSVM REPENTINO CREMATVM INCENDIO.

Heù tam feralis festos quis permeat ignes
Mulciber, ut Dominum flamma inopina cremet?
Improbus ille, Ignes si non Ignatius, inquit,
Promeruit, flamma vindice disperεam.
Sed niueis Lovola esset cum moribus, ignis
Quamquam erat Ignatii in nomine, disperijt.
Heù miser, Ignatii sic tandem in nomine lusus
Vlta est sacrilegos seria flamma tuos.
Sit tibi Caucaseis nomen de rupibus olgens,
Promeruisse ignem te tua dicta probant.

ELOGIVM XLI.

Cui de alijs iudicare sit facilè,
Huic difficillimum sit æstimare se ipsum.
Pronam scilicet in alios curiositatem
Nunquam ignorantia nostri supina non sequitur.
Cum infensus Ignatio
Tàm illum perperam nosset,
Quàm nihil ipse se sciret,
Caput hoc, inquit, igni deuoueo,
Nisi ignis debetur Ignatio.
Sed nouerat profectò illum
Intus, & in cute Vulcanus.

Victi-

Victimam proinde tàm gratã sibi, quàm debitã
Eâdem, quæ deuota est, die flamma repetijt.
An in homine tàm nulla virtute viuido,
Quàm vitijs omnibus arescente,
Facilem inuenit ignis incendendo materiem?
Infelix! qui supplicio tàm funesto, quàm iusto,
Dum festos ignes alienum accendit in plausum,
Ignarus æquè, ac emeritus
Improuisum sibi rogum extruxit in funus.
Infelix iterum!
Qui & solatio caruit misero pereuntium,
Vt nec fatum potuerit imputare fortunæ,
Quando se dumtaxat Iudice,
Adhuc & carnifice cremabatur.
Clarissimum interim de Ignatio tulit & flãma
Quæ dum conuiciantẽ impium [suffragium:
Damnat iustè, cum cremat,
Audientem pium cõsecràt sanctè, dum vindicat.
Time iam, scelus:
Vt alijs nonnunquam possis officere,
Nunquam ipsum te planè non conficis.
Secura virtus esto:
Tuta tibi profectò sunt omnia,
Quando nihil est sceleri non timendum.
IN-

INSIGNE XLII.

A' QVO PECVNIA SPOLIATVS FVERAT, AEGROTANTI IMPLORATVS AB EO ADEST, AC MEDETVR IGNATIVS.



Inclusum cortici suo balsamum per eius incisuram effundens salubris Arbor NVDATA MEDETVR. Quàm veram sanctimoniam bonus Christi odor olet Ignatius, qui, à quo pecunia spoliatus fuerat, ad eum, vt ægrotantem curet, imploratus approperat!

EPIGRAMMA XLII.

IN IGNATIVM INGRATO SODALI, A' QVO PECVNIA SPOLIATVS FVERAT, AEGROTANTI MEDENTEM.

Paſſus ab ingrato furtum Loyola Sodali
Ferre ægrotanti præpes adurget opem.
Vnio ſic fluidus, roſa sic conſumpta medetur,
Vomere ſic frugem ſciſſa rependit humus.
Fur expoſcit opem: ſpoliatus præſtat: amorem
Demere nec tantum dempta crumena poteſt.
Magnus es, Ignati, præſtas qui hæc munera furi:
Maior es, à te quòd fur tuus illa petit.

ELOGIVM XLII.

Opem fur ab Ignatio, quem ſpoliauit, efflagitat
Tacere ille de morbo, quo correptus eſt, potuit:
Quæ ægrotanti vel inſaniam attulit,
Vel abſtulit memoriam,
Febrim illam acutam eſſe quis neſciat?
An verò compos ille ſit mentis,
Qui, quem furto inopem effecerit,
Ab eo fur opem expoſtulet?
Sed raptori pecuniæ quid famam ipſe ſuffuror,
Dum ratiocinando ſic perperam
Benè factum ex merito non interpretor?
Furis animo furoris vim morbus eripuit:

Cum

Qui cũ intellectu reddidit resipiſcenti memoriã.
Proinde acutiore Caritatis febri
Dudum Ignatium exæſtuare cum meminit,
Illa cum ſapiente phreneſi, cenſuit ipſe benè
Nullam conſtare iniuriarum poſſe memoriam.
Et Ignatius quidem
Cum peræ grè à morbo adhuc haberet,
Ad ægrotãtẽ, valida caritate, profect⁹ eſt peregrè.
Oppreſſus à furto miſerè,
Ad furis releuandas miſerias feſtinauit.
Vſque adeò
Nec viaticum vnquam, nec vires deſunt amanti.
Te verò, quandò pro furto feciſti iam ſatis,
Tui fur, ſceleris plena manu largus abſoluo;
Nihil iam vltra reſtituere teneris Ignatio,
Qui eius virtutis opinione tàm rara,
Plus illi multò, quàm pecuniæ furari potueris,
Boni nominis elargiris.
Quanta interim opulentia Caritatis illa eſt,
Quæ in ſuarum iactura rerum detrimẽta nõ sẽtit?
An verò detrimenta Caritas ſentit Ignatij,
Qui raptâ ſibi pecuniâ,
A' raptore rapi ſinit & ſe ſe?

IN

INSIGNE XLIII.

IVVENEM AMORE LVDI CAPTVM, AD LVDENDVM AB EO INVITATVS, ET VICTOR AD MELIOREM FRVGEM TRAHIT IGNATIVS.



Viridium illicio ducta, viſco hæret auicula SVIS CAPTA DELICIIS. Iuuenem Ignatius trudiculis ludere cum voluptate conſuetum, ignarus ipſe ludi vicit, illumque ſpiritalibus ſuis meditationibus exercitum, à Mundi ludis meliorem docuit referre victoriam.

EPI-

EPIGRAMMA XLIII.

IN IGNATIVM OCCASIONE LVDI SIBI AD EAM DIEM IGNOTI NOBILEM IVVENEM AD MELIORA TRAHENTEM.

Res est quandoque & ludus non ludicra: nostis
Seria vos etiam ludere, trudiculi.
Loyolam Iuuenis dum certat vincere, sentit
Arte suos pelli dexteriore globos.
Sponsum ergo obsequium victori præstat; & omnis
Formandæ in vitæ seria ludus abit.
Inde voluptatum subijt fuga; laudis, honorum,
Mundi contemptus clarior inde fuit.
Et noua, Loyola, huic ludo est tua dextera? quæ scit
Totum Orbem globulis trudere, dextra noua est?

ELOGIVM XLIII.

Irretitum aucupio vanitatis Iuuenem
Obsequio veritatis vt mancipet;
Seria meditans, aggreditur ludum Ignatius.
Et nouus ipse cum veterano concertans
Conditionem non veritus est deteriorem,
Qui animo luderet meliori.
Opum proinde pauper, cum quid spōdeat de suo
Ipsum se opulētus virtute paciscitur. (nō habeat,
Tūc spōsione mutua inter ludētē vtrūq; cōuenit,
Vt victori victus octidui præstet obsequium

Et

Et ſuo felix infortunio
Callidus ille Ignatio ceſſit ignaro victoriam.
Aut iuſto traiectu
Per medium per annulũ prior direxit Ignatius,
Hoc tunc ipſe agebat,
Vt qui longè aliò, quàm quò debuerat,
Collineare aberrans inſtiterat,
Illum recto poſtmodum vitæ ductu,
Spei bonæ aurea planè fronte
Æternitatis annulum intrare compelleret:
Aut ſuis erroribus Ignatio reliquit ille victoriam,
Suos inde maioris ſanè momenti [res:
Apud victorẽ hũc deponere auſpicabatur erro-
Victum igitur, octiduo ſpiritalibus exercitijs
Nobilem Ignatius Gallum inſtituit:
Et qui ſub rerum vanitate, ac ſe ſe peribat,
Illum rerum omnium victorem fecit, & ſui:
Num verò leue hoc fuit, aut tenue?
Sed ſoliditatem mundi homini primò condere,
Terrarum in Orbe ludenti
Ludus olim Deo fuit, atque deliciæ:
Homini deinde Mundi vanitatem eripere,
Terrarum in Orbe patienti
Auctori eidem ſudore ſtetit, & ſanguine.

INSIGNE XLIV.

SVMMA HYEME GELIDO MERSVS IN STAGNO IVVENEM AD IMPVROS AMORES PROPERANTEM ARDENTISSIME' INCREPAT, ET A' MEDITATIS ABSTERRET IGNATIVS.



Accensum inter nubila fulmen, contrarijs inter se se pugnantibus, INTER FRIGIDA FERVET Quid gelidum contulit Ignatio stagnum? Illum nempe, ad perditum insanis amoribus Iuuenem absterrendum, accendit in fulmen.

EPI-

EPIGRAMMA XLIV.

IN IGNATIVM GELIDO MERSVM IN STAGNO, EX EOQVE IVVENEM AB IMPVRIS AMORIBVS RETRAHENTEM.

Ardeat (Ignati nescis?) orator oportet,
Inflammare alios si velit eloquio.
Tu tamen è stagno gelidus glaciante peroras,
Teque illinc alios vrere posse putas.
At potes: infami Iuuenem quando igne calentem
Accendi casto protinus igne iubes.
Frigida sint igitur de stagno membra; loquentis
Cor flagrasse, Venus frigida facta probat.
Credo, recepturus totum sub corde calorem,
Extima debueras cingere membra gelu.

ELOGIVM XLIV.

Piſcatorem hominum
Inficiare iam te, ſi potes, Ignati.
Qui nimirum aquas
Et noctu, & hyeme algentes ingreſſus,
Vel ipſis amoris perditi hærentem in caſſibus,
Iuuenem currere conſuetum ad dulcia,
Adhuc tuorum capis illicio tormentorum.
Neque illum eripere tibi potuit
Inſaniæ ſuæ aut altum, aut imum:
Subiturus nempe & illuc in prœdam

Piſcator ſimillimus piſci, merſaris.
Quid verò Iuueni immerſiſſe te profuit?
Emerſit:
Quid illius ardori te ſic alſiſſe?
Refrixit.
Stimulos, quibus ille fodiebatur, carnis
In duratæ clypeo patientiæ retudiſti.
Auram illius animo iam pereunti vitalem
Media de glacie, de ſinu mortis afflaſti.
Tàm cœcum
Nox potuit illuminare tàm alta:
Tàm perditum,
Tàm propè, Ignati, pereundo ſeruaſti.
Et increpante te altiùs
Occupatis iam auribus non cerâ, ſed tonitru,
Suam vltra non audijt ille Syrenem.
Agite nunc, & Delphinum hunc melius,
Ignatium nempe, vos inter, aſtra, recipite.
Praui amoris, hoc eſt, ſui crudelitate remigis
Ad cædem amens ille petebatur in iugulo:
Vt de ſuorum affectuum inſania
Nouo dithyrambo caneret epinicium,
Suo hunc penè dorſo exceptum Ignatius
Gratum Deo munus ſeruauit Arionem.

IN-

INSIGNE XLV.

ARTE, AC DEXTERITATE PERQVAM SVAVI MVLTOS AMORE VIRTVTIS, AC VITAE SEVERIORIS OBLECTAT IGNATIVS.



Artificioſo notarũ nexu, cũ modulamur duriũs, PER DVRIORA DVLCIOR concentus efficitur. Sanctitatis harmoniam ſic modulabatur Ignatius, vt in illa quæ acciderent duriora, dulciſſima ijs, quos ipſe inſtituebat, efficeret. Canendæ porrò muſicæ verba lemmatis aptabuntur.

EPIGRAMMA XLV.

IN IGNATIVM SVAVI DEXTERITATE AD VITAE SEVERIORIS AMPLEXVM ALIOS ALLICIENTEM.

Humani, Circæa iubent medicamina, vultus
Cedite, & in fœdas protinus ite feras.
Monstrosi, Loyola iubet, discedite mores:
Viuat & humanus, qui fera vixit, homo.
Vt iussere ambo, euenere: veneficus inde
Dictus hic est, Circe ceù maga vera fuit.
Quis neget esse homines igitur portenta, ferasque,
Si Magus est, homines qui vetat esse feras?

ELOGIVM XLV.

Suaue, Pietas, nomen, & blandum;
Rarò tamen à crudelitate non incipit:
Esse propterea pium in Deum, ac sæuũ in se se;
Non res est diuersa, sed formula:
Neminem sanè Deo parentem inuenias,
Qui fortiter non imperet sibi;
Neminem imperantem sibi,
Qui duriter se se non domet:
Magnos nimirum itura virtus in hostes,
Ne à tergo sibi latronum relinquat insidias;
Suum incipit sæuire primùm in tergus.
Scabram verò suâ iam coruptelâ naturam
Ad

Ad integritatis læuorem
Non niſi per ictus, & inciſuras expolias;
An prima ſemper incrementa
Fiunt in virtute, demendo?
Demere verò ſine vulnere quis nam poſſit?
Dulce tamen diſce prodigium.
Suâ Pietas manu dum premit,
Ex acerbitate ipſa pœnarum
Dulcedo voluptatis exprimitur.
Flagra licet in artus tonent,
Sanguis è membris pluat,
Adhuc ſupra & tonitrus, & procellas,
Olympo ſerenante animi, innube Cælũ frõtis eſt.
Dura iam, & aſpera vltrò ſumite, & amate
In amplexu virtutis,
Ignatio ſcilicet
Commouente vos, & commutante, cardiaci.
Cum pium nihil ſit, & non calidum,
Quæ ſine pietate ſunt amara, dum frigent,
Amoris ad ignem calefacta dulceſcunt.
Actiuum vt ſit verbum, res eſt, amare, paſſiua;
Agere nihil otiando ſe reputet,
Quiſquis, verè cum cæpit amare,
Non amat pati.

INSIGNE XLVI.

SVIS E' PRIMIS SOCIIS ALIQVOT AD SE PETRI FABRI OPERA TRAHIT IGNATIVS,



NON SINE FABRI SPIRITV vitra formantur ad ignem. Vt instituti sui Socios, vasa electionis Christo conficeret, suo Igni spiritum, operamque Petri Fabri adiecit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XLVI.

IN PETRVM FABRVM PRIMVM IGNATII SOCIVM.

Nomen ab Igne Parens flagrando, & prima Parentis
Se Fabrum soboles ædificando probat.
Hinc Structura suum fert à pietate calorem;
Fert & Structuram de pietate calor.
Væ tibi perfidia: hic Faber hoc te destruit Igne:
Te hic Ignis Fabro hoc extruet, euge Fides.
Sed Faber aut condat, vel destruat Ignis; vterque
Pro Roma, & Cælo quid facit? ædificat.

ELOGIVM XLVI.

Nouæ domus, compaginandæ moli
An non calcem parari iam autumem,
Quando in Ignatium Petrus incidit,
Hoc est cecidit in Ignem Petra?
Et quidem viua,
Quæ scilicet diuino vitæ spiritu agebatur:
Et hoc vel glutino, vel cæmento
Strues Loyolæi ordinis primò coaluit:
Quin hoc vno in Primogenito
Magnum & opus Ignatius sortitus, & operam,
Vt, quod meditabatur, extrueret,
Petram simul inuenit, & Fabrum.


Hic

Hic porrò Petrus ille Faber eſt,
De quo breue Ignatius cecinit,
Sed grande præconium:
Faber inquit, omnia ædificat, deſtruit nihil.
Et rimatus altè Fundator prudens,
Quid Petrus in ſe potius haberet,
Quàm Faber in ſuis,
Solidæ vt illum mentis agnouit,
Contempto natalium, quo carebat, ornatu,
Aptiſſimum ſuo cenſuit fundamento.
Quamquam ornatus illi petræ non deerat,
Quam omnium anaglypto virtutum
Suo in primis cælo Caritas figurauit.
An verò opus erat in illa vulgare,
Circa quam magnorum ſanè Artificum,
Cum admiratione factus eſt cœtus,
Quando è primis etiam Socijs aliquot,
Petri huius Fabri operâ ad ſe traxit Ignatius?
Et primogenitus hæreditatẽ Patris vel viuẽtis a-
Qui tã penitus eius in ſe virtutes expreſſit, (diuit,
Quàm omnium, & proximus, & primus accepit.
Lector: Gloriam Parens hic profundit in Filium?
Gloriam hic Filius refundit in Patrem.

IN-

INSIGNE XLVII.

DECEM PATRIBVS, QVORVM PRIMVS FVIT IGNATIVS, SOCIETAS IESV PRIMO COALESCIT.



In arithmetica EX figurarum 1, & o, CONIVNCTIONE PERFECTIO numeri coaleſcit. Primi Socij in tantum virtutis perſectæ creuerunt, quia vnũ in Societatis corpus coniunctis animis coaluere.

EPI-

EPIGRAMMA XLVII.

IN PRIMOS DECEM SOCIETATIS IESV PATRES.

Nil recti toto Mundi stat in orbe, rotundo,
Ni nota recta præit, quid fit ab orbe? nihil.
Nimirum toto quid fit, nisi crimen in orbe?
Hoc vnum infelix, hoc fit in orbe nihil.
Hoc, mala dispungens Ignatius omnia, certus
In bona virtutum vertere cuncta nihil,
Consilij socios dum deligit, ante rotundum
Rectam orbem adnumerans prænotat ipse notam.
Disce, hieroglyphico Soboles quo constet Iesu;
Perfecto est numero condita; perficiet.

ELOGIVM XLVII.

Elogiũ Heroi maximũ, quod breuissimũ, Nomẽ:
Accipite sic vestrum
Primi Societatis Parentes elogium.
Laude tantùm digna gessistis?
Nominabo vos igitur, & laudabo.
Franciscus Xauerius, miraculorum Parens,
Quantum Parentis miraculum fuit Ignatij!
Nomen Petrus Faber impleuit,
Tàm solidæ in se Petra virtutis,
Quàm Faber in alijs ædificandis excellens.
Iacobum Lainium Sapientia clarauit, & Virtus:
Quos

Quot illum hinc Vrbes, quot Sacra Cōcilia demi-
Quāti fecere Simonē Rodericiū Lusitani! (rātur!
Ex ipso nimirum, atque Xauerio
Apud illos Apostoli nomē in Socios permanauit;
Alphonsum Salmetonem
Plus ne tot scripta ab ipso volumina,
An magna pars Orbis
Ipsius gestis inscripta deprædicant?
Claudij Iaij præconium esto Rex Ferdinandus;
Quem ille suspexit
Sacras Infulas æquè promeritum, & recusantem:
Quid Ioanni Codurio sit præclarius,
Quàm quòd ipsius animam vix extincti
Cælo receptam vidit Ignatius?
Paschasius Broëtus an supra hominem erat,
Qui ab Ignatio
Angeli in Societate nomen accepit?
Nicolai denique Bobadillæ
Strenuos pro re Christiana labores,
Lauretana Virgo suam morientis ad Ædem
Extremâ pietatis in se laureâ coronauit:
Primis hisce Societatis membris
Caput fuit Ignatius.
Quantis in membris, quantum caput!

IN-

INSIGNE XLVIII.

IGNATIVS CVM COLLECTIS SOCIIS VOTO SE AD PROCVRANDAM ANIMARVM SALVTEM OBSTRINGIT.



Vſtorium ſpeculum radios Solis omnes vnum in punctum COGIT VT CREMET. Ad Orbem totum diuino ſpiritu incendendum, ardentem in ſe, ſocijſque virtutem obſtrictam voto coègit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA XLVIII.

IN IGNATIVM VOTO SE CVM SOCIIS AD PROCVRANDAM ANIMARVM SALVTEM OBSTRINGENTEM.

Non patera humanum circumtulit atra cruorem,
Vt coniurantum fœdera potus alat.
Nec sibi iam Puero iuratum excindere Romam
Effracta Pœnus durior Alpe probat.
Pro Cælo Ignatii iurat, coniurat in Orcum,
Non poto, effuso sanguine, lecta cohors.
Alpe tua obduresce nefas: patiere domantem:
Pœna tibi hic Ignis, hic tibi Pœnus erit.

ELOGIVM XLVIII.

Quantus adolescens is fuit,
Qui sua morte Manes placaturus immanes,
Tantum Romæ telluris hiatum
In illum ruens se ~~se vnus~~ impleuit!
Curtius hic est Romanus Eques,
Cuius nomen vorare tempora
Nec potuere, nec poterunt:
Quando in hac tanta voragine
Omnes illis cum gutture dentes elisit.
Sed immortales & famam, & gratias
Incolumis Roma suo debeat assertori.
Perenniores Ignatio Mundus debet.
Nun-

Nuncupato cum Socijs voto,
Nisi alienam quærendo
Suam non vult Ignatius inuenire salutem.
An non hoc est in barathrum ire præcipitem?
In tàm prisca, immanique scelerum voragine,
Cum tàm recens in Luthero, & altus
Ad Stygem vsque pateret hiatus,
Quantus laborum, malorumque gurges [dus!
Oppleto nunquam, aut fesso erat pectore deuorá.
Et illum Ignatius, ac Socij deuorarunt.
Lustra Hæresum interim lustrantes, & Tartara
Quinã Leones & Cerberi tãtos Hercules nõ sẽse.
Cum elisis, quá rugitibus, quá latratibus, te?
Et spolijs detractis, & extractâ prœdâ,
Securus vt in terris regnaret,
Vero protulere scilicet pacem Ioui?
In Ignatio rursum, & Socijs,
Mutium, Romanamque pubem
Tartareus Porsena
Coniuratos in se norit, & timeat:
Quid in illos possit ipse, vel paret,
Quibus, dum Mundum vindicent in salutem,
Malorum vltimum, votorum est primum mori?
Fortitudinẽ manu probauit Mutius patiẽdo?
Et patiendo probarunt Iesu Socii, & agendo.

IN-

INSIGNE XLIX.

IN PATRIAM VALETVDINIS CAVSA REVERTENS, MILITIAE PRIMVM, TVM CLERI OCCVRSV IGNATIVS EXCIPITVR.



Languentes in nocte flores, auiculasque silentes, Aurora cum primùm affulget VNA EXCITAT OMNES. Ignatij patria tantum virtutis Solem oboriri sibi suo in alumno cum vidit, in plausum excita, lætabunda prodijt in occursum.

EPIGRAMMA XLIX.

IN IGNATIVM MILITIAE, CLERIQVE OCCVRSV, DVM IN PATRIAM REDIT, EXCEPTVM.


Siue ſagum, Loyola, togam ſiue aſpicis, ordo
Quantus, io, patria, quantus ab Vrbe venit!
Murorum cinctu haud capiuntur gaudia, plauſus
Obuius inde tibi mœnibus egreditur.
Et tu, cum tua non caperet te Patria, magno
Maior Alaxandro manibus exieras.
Nunc patria à proprio incrementum ſumpſit Alumno:
Scis quantum? quia ſe non capit, egreditur.

ELOGIVM XLIX.

Subſiſte, Ignati, & caue:
Tua te Patria,
Vel victimam odorata, vel prœdam,
Hinc Sacrorum Miniſtris,
Hinc tibi occurrit ordinibus armatorum.
An potius non te aræ,
Sed aram tibi admoturi Sacerdotes,
Caſtra tibi, non te Caſtris milites deuoturi,
Ideò te pro Numine conſecrandum putant,
Quia profana omnia vincere viſus ſis,
Cum vnum te tàm ſanctè potueris expugnare?
Et calcata olim à te Patria


Me-

Meritò nunc te ſuſpicit,
Quæ tuos ſe aſpicit infra pedes.
Quæ verò tanto ſubſilit motu,
An non perſuadet concepiſſe ſe ſpiritum ?
Et Ignatij certè ſpiritum,
Qui ex humilitate
Vel infra tellurem latere cum vellet,
Alijs Virtus ſic incluſa vim intulit,
Quæ excelſa cum eſſet, in loco erat ibi non ſuo.
Vno implendæ nunc hoſpite,
Suis ſe domeſticis domus omnes exhauriunt,
Auguſtæ virtutis viro locũ omnẽ anguſtũ ratæ,
Qui, per caſus omnes declinatis honoribus,
Adhuc tamẽ cũ tãto veniret nominis incremẽto.
Perge nunc, Ignati, & ægroto corpori
Salubre quære Celum in Patria.
Modicam à Cælo vt capias,
Multam ſolo dabis natali ſalutem.
Neque animos multo negotio præſens expurges,
Quos abſens
Tàm facilè potueris commouere, vel famâ:



INSIGNE L.

CONCIONANTIS IN CAMPO VOX IGNATII, A' CONFERTA PATRIAE SVAE MVLTITVDINE AD TRECENTOS PASSVS AVDITVR.



Explosa murali è tormento glans cum vi fertur, & impetu, IGNE PROCVL MITTENTE. Diuini Spiritus, quo flagrabat Ignatius ardor, & vis, concionantis vocem tàm procul in aures audientium impellebat.

IN-

EPIGRAMMA L.

IN IGNATIVM CONCIONANTEM IN CAMPO AD CCC. PASSVS AVDITVM.

Vnde Periclæo tonat ore, & fulgurat? vnde
Fulminat hic, nouus hic Iuppiter eloquij?
Effusa ad passus audit conferta trecentos
Turba, et ab orantis tàm procul igne calet.
Scilicet in sola non est facundia lingua,
Cuncta sed officium membra loquentis habent.
Ille horrens oris pædor, pudor ille modestus,
Frons ea virtutis nobilis, eloquium est.
Rhetorice hæc vera est: vis cominus, eminus omnes
Verba diserta crement? audiat illa oculus.

ELOGIVM L.

Dei Verbo, gladio armatus ancipiti,
Certam pugnaturus in victoriam
Patentem prodit in campum Ignatius.
Tanti auditorium populi nõ capiebãt angustiæ,
Verius Oratorem:
Rursum, nec populum,
Qui magno Spiritu voce implendus orantis,
Maior ibi non potuisset capi,
Quò minor intrasset.
Interim miraculo multitudini fuit,

Vox ad trecentos passus audita:
Prodigium videri maius illi potuit,
Quòd vocem tunc videret potius, quàm audiret.
Totus vox, totus Echo diuinæ vocis Ignatius,
Dei Verbum integrum in se certè reddebat,
Qui plenis integritatis operibus,
Gratiæ respondens, nihil mutilabat in se se:
An messem futuros
Suos Ignatius colonos eduxit in campum?
Aspeithiæ certè solum, nunquam aliàs visum est
Adeò vber, & properum,
Quàm cum, iacto vix semine,
Matura statim messe
Frugem plerique dedere centesimam.
Ciuis planè bonus, & hæres frugi,
Vnius vix horæ negotio, tàm cultis noualibus
Suæ auxit Patriæ patrimonium.
Quæ, ne veluti mobilia vsusattereret,
In Cælo, hoc est, æterno in fundo
Superum commisso fidei
Firmis ipse precibus stabiliuit in Domino.
In mores iturus alios, aliud in solum abiuerat:
An, mutatis alibi moribus,
Redit nunc, vt mutet & solum?

INSIGNE LI.

MALOS SPIRITVS OBSESSIS A' CORPORIBVS SAEPE' CRVCIS SIGNO, A' LAVRETANA PATRVM SOCIETATIS DOMO, MISSA EPISTOLA FVGAT IGNATIVS.



Triſtes, ac inauſpicatas volucres, & animantes noctu ſuo aut volatu, aut excurſu Cælum, ac terras infeſtantes matutinus Sol AFFVLGET, ET FVGAT. Coram Ignatij Sole infernæ noctis aues, mali ſpiritus cogebantur effugere.

EPIGRAMMA LI.

IN MALOS SPIRITVS AB IGNATIO FVGATOS.

Siue characteres, signum seù grande salutis:
Exprimit Ignatîi plena Tonante manus,
Stigmatica infernæ fugiunt ergastula noctis,
Et chartam, et dextram ceù flagra torta pauent.
Dextra subhastauit, proscripsit epistola laruas.
Hinc homines illæ, hinc deseruere domos.
Loyola haud vnquam potuit simul esse, lemurque:
Inde simultates ergo habuere simul.

ELOGIVM LI.

Vsque adeò, cruciarie Dæmon,
Tua Ignatius Crux est:
Vides illum, & fugis.
Stabulatus in hominibus
Residem in ijs belluam calcitrosus agebas:
Sed pati verbera ab Ignatij scipione consuetus,
Eius nunc manu vel tãtùm motâ te commoues.
Nimirum àërias Ignatius potestates,
Expresso in àëre Crucis signo,
Armis in ipsarum castra illatis aggreditur;
Tum quæ obsessis in corporibus
Solidæ suæ fecerant improbitati præsidia;
Vir-

Virtute ſua ſolidiore depulſas
Suum redire compulit ad inane : (mitur,
Vſque adeò nõ vanũ ab illo ſignũ Crucis expri-
Qui ſuis in membris Crucẽ Chriſti circumfert;
Neque baculum rotans in ſpiritus
Aërem dumtaxat is verberat ;
Qui ſuum antea corpus
Redegit verberibus in ſeruitutem ?
Iam & Lauretanum Societatis Collegium
Contubernio ſuo infeſtabant , & ſpectris.
Sed malus Erebi negotiator ,
Qui cum Ignatio ex aſſe decoxerat ;
Occupatis iniquè bonis
Cedere compulſus eſt illicò :
Cum datæ ad Socios epiſtolæ chyrographo ;
Nullâ factâ induciarum veniâ ,
Illum ex ædibus Ignatius iuſſit excedere ;
Ità qui ambuſto verberoni ,
Et Crucis ſigno ardentia verbera ,
Et Ignis nomine verberantẽ minabatur ardorẽ ,
Parenti mortis perditiſſimo ,
Salutis , & vitæ Filius
Plurimam, cum ſcripſit Ignatius ,
Dicere illi , & dare potuit calamo calamitatem ;

IN-

INSIGNE LII.

IGNATII VITA, QVAM, VT MINVS AVSTERAM SOLITARIVS CONTEMNEBAT, AB APPARENTE ILLI CHRISTO DOMINO, VT SALVTI PROXIMORVM ACCOMMODA COMMENDATVR.



Vt faciliùs feriat, altiùsque, perpolito artificis manu gladio DAT ACIEM LAEVOR. Ignatij vita, & si minus in fronte aspera, vt virtutem in animis proximorum infigat, sua ipsa læuitate altiùs insinuando se penetrat.

EPI-

EPIGRAMMA LII.

IN IGNATII VITAM HOMINI SOLITARIO AB APPARENTE ILLI CHRISTO DOMINO COMMENDATAM.

Quòd neque de Scythica pendentem rupe, sepultum
Nocte nec horrenda cernis hiantis humi,
Loyolam spernis, nemorum vetus incola, Virtus
Iudice quo tantùm quæ fera, vera quoque est.
Iudice sed Cælo errasti: Loyola sub illo,
Quem spernis, multum parturit ore Deum.
Quæ nota sit, quæris, Virtutis? blanda, vel horrens;
Non facit illa feras, sed facit illa Deos.

ELOGIVM LII.

Virtutem ne credas ingenuam,
Quæ extimo tantùm dignosci possit ex habitu:
Quacumque illa gradiatur in veste,
Cuius semel vsum ceperit,
Illi statim conferet honestatem.
Diuina res est, quam certè non capit,
Qui nesciat omnia posse facere illam, & fieri.
Vt duris gaudere sit solita,
Si qua tractare sit tanti,
Ipsius durantur in manu vel mollia.
Tunc se duriorem etiam probatura,
Quando nec inter imbellia eneruatur.
Bo-


Boni, certè Lycei Philosophus, sed angusti,
Solitariam sectam in Eremo sectatus,
Virtutem, cauernâ tantùm, & asperis,
Non Vrbe, ac lenioribus definiebat.
Minus proinde vt horrentem aspexit,
Vt minus Sanctum despexit Ignatium:
Ratusque pronam adeò in alios curam
Incuriam sui esse supinam,
Conscientiæ fortassis, virtutisque suæ periculo,
Illum credidit malè sibi sufficere,
Qui tantùm de se alijs impertiret.
Sed docente Deo tunc didicit,
Spiritus quãdoque fortes sic stare molli sub frõte,
Vt mollis animus
Duram non rarò cutem effœminat:
Iã verò Puero in senecta tot sæculorum Mundo,
Sanare illum qui velit,
Nisi dulcibus oblitum,
Pharmacum medicus ne propinet.
I nunc, & Ignatij vitam liuor improba;
Sed Deus hanc probat.



IN-

INSIGNE LIII.

SOCIVM MORTI PROXIMVM LABORANS IPSE FEBRI SANAT AMPLEXV,



Tractorium organum pertenui funiculo lapidē grandiorem attollit tanta: IN TENVI VIS est; Ignatium imbecillem fecerat ægritudo: Ea tamen erat ipse virtute, vt grauissimo laborantem morbo æger erexerit, & sanarit.

EPI-

EPIGRAMMA LIII.

IGNATIO P. RODERICVM MORTI PROXIMVM AMPLEXV SANANTI.

Mortis in amplexum properat Rodericus, at illum
Loyola amplexu mortis ab vngue rapit.
Auferri prædam sibi mors infrenduit: vltra
Et puduit, prædam quòd rapit inualidus.
Nempe laborabat febri Loyola, ruentis
Cum Socij tantum à morte recepit onus.
Rumpere iam Mors: quid contra te credis in illo
Debile, si tantum vel febris ipsa valet?

ELOGIVM LIII.

Vitæ fructu an vllus est melior?
Melior igitur nec arbor est vlla,
Quâm quæ proferat fructum vitæ.
Dum morbus Socio maturat interitum,
In Ignatij brachijs præcoci fœtu
Festinata salus autumnat.
An quia Christi Crucem
Suo Ignatius in corpore dum circumfert,
Mortem vt arceat,
Hoc habet in Paradiso gratiæ lignum vitæ?
Et hoc virtutis est contagium, sed salubre;
Per inualidum febri corpus

Atta-

Attactu suo affricare ægrotanti salutem.
Tangi non potest Ignatius, quin ab illo virtus
Tanta Deum cum fide tetigit, (exeat;
In quem tanta cum virtute Deus intrauit.
Nemo dat, quod non habet, sit Naturæ;
Totus Ignatius Gratiæ est,
Qui & hoc dare potest alteri, quod non habet.
Febri nempe laborans
Socium sanat proximè moriturum.
Sed, monentem audio Pharisæum,
Medice cura te ipsum:
Quæ, cum indiget, à se non incipit,
Perfecta non est, quia non est Caritas ordinata.
Apage: statura pusillus es, Pharisæe,
Qui Caritatis non vides ordinem altiorem;
Dum se totum alteri prodigit in salutem,
Ne quærat, quæ sua sunt,
Ità Deus ordinauit in Ignatio Caritatem
Qui Parens cum sit,
Relatiuum se factum vt vidit,
Suum esse totum pertinere putat in alios:
Quantum hic ignis valuit Caritatis!
Sensus in Socio iam sepultos,
Vt sentirent vitam,
A' veterno mortis excussit.

INSIGNE LIV.

BAIVLANS CRVCEM IESVS IGNATIO APPARET, EIQVE ROMAE SE FORE PROPITIVM POLLICETVR.



Veſtigium Templi aſpicis Crucis formà deſcriptũ: Crux illa Diuos inter in Cælo receptis, hìc apud nos in terris FASTIGIA SIGNAT HONORVM. Neq; aliam, niſi Sãctitatis, & gloriæ aream Ignatio Ieſus oblata dſcripſit in Cruce, quam baiulans, illi ſe Romæ dixit fore propitium:

EPI-

EPIGRAMMA LIV.

IN APPARENTEM IGNATIO IESVM, EIQVE SE BAIVLATA CRVCE ROMAE PROPITIVM FORE PROMITTENTEM.

Nempe solæcismum Patris Sapientia gestu,
Cui non concordant edita verba, facit?
Mollia si sunt verba, Crucem cur gestat Iesus?
Durus non gestus mollia verba decet.
Cæli an Grammatices non antiquanda figura
Crux est, qua Numen, quos amat, alloquitur?
Gratia enim Cæli quæ nam est, & Numinis? vna hæc:
Omnia pro Cælo, et Numine posse pati.
Ergo solæcismus gestus non vocibus aptus
Esto: solæcismo hoc candida lingua Dei est.

E L O G I V M L I V.

Vaticinari de te libet, Ignati:
Crucem quæris:
Nec me fallunt diuinantem auguria.
Apparens tibi Iesus,
Quæ tua sint vota, palam facit:
Crucem humeris gestat,
Et Romæ tibi fore se propitium pollicetur.
Tãto iã fretæ suffragio, an nõ securæ spes ãbiant?
Te nimirum vt efferat,
Tibi suum gestat Iesus in humeris Principatum.

Porrò, quo Deus tuam habet in loco virtutem,
Qui vel inter beneficia tibi Crucem adnumerat?
An verò diuinæ litteraturæ
Abecedarius adhuc Ignatius eſt,
Qui, dimidium vt facti habeat,
Benè profectò iam incipit,
Quando bono diſcendi ordine,
Non ſine præpoſita Cruce
A ſimul indigitat, & Ω?
Immò mẽtis ille potius eſt magnæ Philoſophus,
Qui ex profundiore Cæli doctrina
Difficilia captu
Effata hæc ſibi propugnanda aſſumit, & probat.
Diuina non eſt Virtus, quæ non eſt fortis.
Virtutem Tolerantia ſortem facit.
Denique propitiantis Dei tantum omen
Ruinoſo Ignatius capit in Templo:
Metuere de illius perennitate iam poſſet,
Niſi fundaretur in Cruce.
Ità quicquid, vt recreet, molle Ieſu fluxit ex ore,
Hoc, vt perennet, Ieſu duratur in humeris.
Gregales in Vrbem milites
Admittat ſemita venientes anguſtior:
Ignatius regiâ in Capitoliũ viâ Crucis inuehitur,
Triumphabit.
IN-

INSIGNE LV.

IGNATIVS SE SE CVM SOCIIS SVMMO PONTIFICI AD OMNE RELIGIONIS VOVET OBSEQVIVM.



Nuda in tabula, parataq; picturæ, QVÆ FORMA PLACEBIT, hanc poterit ex libito Pictor exprimere. Vt in obſequium Religionis, & Fidei ſe ſe Ignatius, Socijque deuoueant, Pontifici ſummo animis in omnia paratis, alacribuſque ſe ſiſtunt,

EPIGRAMMA LV.

IN IGNATIVM, ET SOCIOS SVMMO PONTIFICI SE SE IN OMNE RELIGIONIS OBSEQVIVM DEVOVENTES.

Mitte; Medusæos vis demetat Hæresis angues?
Vis proturbet humi fana profana Iouis?
Perfidiæque gelu, et scelerum procul exulet æstus?
Floreat hinc Pietas? plena sit inde Fides?
Loyolam, et sobolem Loyolæ, Maxime Mundi,
Quæ potiora iubes, in loca mitte Parens.
Tunc te aliquis regnare neget pro Numine: per quam
Cuncta potes, soboles te probat ista Deum.

ELOGIVM LV.

Inficiare si potes prodigium,
Materiem inueniri facilem, & cælestem.
Ignatij soboles imbuta Deo tàm altè,
Vt à Caritate Christi
Illam separare quisquam haud possit,
An non formam habet in se se cælestem?
Et adhuc facilis est,
Quando Molitoris summi Vicario
Materiam offert se se paratam ad omnia.
Iam Cęlum Philosopho ideò sit incorruptum,
Quia cum optimam habeat,
Formam in se aliam nec appetit, nec admittit,

De

De Cęlo enim intra Physicam,
De Ignatij sobole disputandum est altiùs.
Supra naturam Virtus est.
At nihil appetens, apta omnibus inuenitur.
Vsque adeò hac omnium vacuitate votorum
Suam approbauit Pontifici capacitatem.
Minimã iam, Ignati, tuã hanc Sodalitatẽ appella:
Granum hęc est minimum, sed sinapis:
Cuius in ramis verè Cæli volucres habitabunt,
Quando ipsius inhabitaturi ramos,
Ex terrenis cælestia sapientes,
Homines mutabuntur in volucres:
Quàm porrò futurũ acre sit granũ hoc minimũ,
Ostendet profectò non semel
Aduersis ictibus contrita Societas:
Lacrymas lacessentibus, sed salutares eliciet,
Vt, & qui frigidæ iam caritatis in hyeme
Scelera grauiora deuorant, conterantur.
Denique Ignatij, Sociorumque vota
Romanus Pontifex, vt impleret,
Iis pro Cælo, & Roma
Omnia & agere dedit, & pati:
Dixisse ex his alterum erat satis:
Pro Deo enim nemo agit, qui non patiatur,
Nemo patitur, qui non agat.

INSIGNE LVI.

PAVLVS TERTIVS LECTO SOCIETATIS INSTITVTO, DIGITVS, INQVIT, DEI EST HIC.



Miram hanc mundi molem intuere: an non structurâ suâ INDICAT AVCTOREM? Digito Dei scriptas esse Societatis Constitutiones, postquam eas legit, Paulus Tertius vicario Diuinitatis oraculo affirmauit.

EPI-

EPIGRAMMA LVI.

PAVLO TERTIO, LECTO SOCIETATIS INSTITVTO, DICENTI, DIGITVS DEI EST HIC.

Legit vt Ignatî leges Farnesius Orbis
Paulus Romulea summus in Vrbe Parens,
Hic, ait ille, Dei est digitus: scripsisse Tonantem
Forma characterum Numine plena docet;
Spiritus hanc vnus membranam permeat: vnus,
Qui hæc scripsit digitus, Spiritus ergo Dei est.
Quid? nihil hic est Ignatî? sed ab æthere leges
Dictabat Deus, hic amanuensis erat.

ELOGIVM LVI.

A' secretis nempe cum Deo Paule, communicas,
Qui scribentis Dei notas intelligis tàm furtiuas:
Immò tàm claras; sed conscio diuinorum:
Libellum legis legum Ignatij,
Et, Digitus, inquis, Dei est hic:
Surdus iam porrigat aures Mundus:
Digitum hunc Dei, vt benè possit audire,
In aures sibi non detrectet immitti.
An verò Cæli voluminibus
Similem, Paule codicem cum videres,
Illius artificem
Non nisi Deum credere potuisti?

Et verò Poëma Dei Cælum eſt,
Voce tàm intenta, vt Dei gloriã ſemper enarret,
Eloquutione tàm ornata,
Vt totum ſit ſideribus figuratum.
Scriptorem nempe tantum, atque tàm clarũm,
Nec papyrus anguſtior,
Nec nota decebat obſcurior.
Quid? negabit aliquis ſimilem hũc Cælo librũ?
Sed qui Ignatios, qui Xauerios,
Qui tot formabit Heroas,
An non micaturas perpetuò ſtellas dabit?
Quid ſi & Cælo liber hic præſtat,
Quia præſtat Cælum?
Iam verò ex apparentibus notarum ſenſis
Arcanus, Paule, digitus tibi patet Dei.
Patentibus olim digitis,
Regem impium notarum ſenſa latebant.
Et inuentus ille minus habens
Regnum protinus amiſit, & vitam.
Cum te in confirmata Societate Ieſu
Plus ſatis habentem Deus inuenerit,
An non cum vita tibi
Regnum ille firmarit in Cælo?

IN-

INSIGNE LVII.

S. FRANCISCVM XAVERIVM IN INDIAS AB VRBE MITTIT IGNATIVS.



Festis ignibus VNVS NON SVFFICIT orbis quando geminus itá globus aptatur, vt postquã alter cõflagrauerit, papyraceus tubus ferreo filo ad alterũ incendendũ excurrat. Nostrũ hunc Solis Occidentis Orbẽ nõ satis Ignatio fuit incẽdere: Ad Solis Orientis orbẽ alterũ inflãmandũ misit Ignatius ab Vrbe Xauerium.

EFI-

EPIGRAMMA XXXII.

IGNATIO S. FRANCISCVM XAVERIVM IN INDIAS AB VRBE MITTENTI.

Prodige, Xauerium, Ignati, dum mittis ad Indos,
Quæ nullo redimas tempore, damna subis.
India sed census fiet Romæ: ipse cadentem
Sol oriens Solem cernuus ante cadet.
Qui sua dilapidat patrimonia prodigus, æui
Dura laborantis tempora ducat inops.
Tu dans Xauerium, te, Romam, et sidera ditas:
Fecisti, Ignati prodige, prodigium.

ELOGIVM XXII.


Vt longissima, Xaueri, nauigatio tua sit,
Adhuc tamen non sufficiunt tantæ siti tot maria.
Ærumnarum Oceanum propinante Deo,
Quanto vltra sitires ardore,
Plura, Domine, plura ingeminans, approbasti,
Æthiopem atrum æquè, grauemque
Visus tibi es baiulare per somnium:
Tàm candida mente inuigilas Deo vel dormiẽs:
Tàm vera tibi dormiẽti Deus immittit & sõnia:
Perge iam, & veterum in oras fabularum
Nouam institor mercem importa prodigia.
Illud interim miraculorum primum esto,

Quæ

Quæ videri poſſit fabularum eſſe nouiſſima :
Rei dumtaxat alienæ cauſâ ,
Potuiſſe tantum ab homine nauigari ?
Tum, vt oſtentum oſtento rependerent ,
Quando , ad exhumandum apud Indos aurum,
Viuus infra tumulos
Xauerius non deſcendit in Tartara ,
Xauerio tumuli excitata ab Inferis
Victura rurſum reddidere cadauera .
Quid? alterum altero maius
Non putauere Indi prodigium ,
Hominem ſcilicet tàm peregrinum aſpicere ,
Et viuis aurum, animam alteram nō rapientem ,
Et mortuis cū aura, vitam alteram reſtituentem:
Iam verò tàm multis à te in Cælum inuectis ,
An non Hercules, Xaueri, es ,
Quem Leonis Inferni ſpolium tantum inſignit ?
At ſuis ſubeuntem laboribus
Eoi te Cęli columen diuinus Atlas agnoſcit .
Denique Mundum alterum implente Ignatio ,
Neceſſe fuit in alterum mitti Xauerium .
Vſque adeò , Parum eſt Regnum,
Nec Mundus hos capit duos :

INSIGNE LVIII.

SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS ELIGITVR.



In ſtillatoriæ machinæ fornacula medius ignis incluſus diſpoſitis circum vitris SATIS OMNIBVS VNVS eſt. Vt diſtillatis ſudoribus ipſi ſe in ſalutem eliquent proximorum, ab vno Ignatij igne, quem ſupremo Magiſtratui admotum ſibi medium ſtatuere, Socij omnes calorẽ accipiunt.

EPI-

EPIGRAMMA LVIII:

IGNATIO SVMMVM MAGISTRATVM GENERALIS PRAEPOSITI DETRECTANTI.

Es, Loyola, Parens; parens temen eſſe laboras:
Vis longum vt ſit onus, vis breuis vt ſit honos?
Nempe alijs, inquit, praeam? vitaque prioris
Deijcis ad claudum lumina prona pedem.
Sed caput haud reputas quanto dein robore Virtus
Imbuit, hinc te alijs poſſe praire negas.
Claudus es? exemplo tamen, imperioque praibis:
Hac capite, Ignati, ſit via, non pedibus.

ELOGIVM LVIII:

Maximum Virtuti ſapere eſt, ſe neſcire:
Mereri proinde ita ſciat ingentia,
Vt vel minima mereri ſe neſciat. (meretur,
Nemo certè formam honoris pulcherrimã tàm
Quàm qui materia eius maximè cum ſit capax,
Adhuc tamen illius poſſit eſſe non appetens.
In ſupremo Societatis Magiſtratu dicendo
Cum omnes vni ſuffragentur Ignatio,
Vnus omnibus Ignatius refragatur.
Et Crucem ille quidem,
Sed non in capitis geſtare ambit ornatu,
Humeros illi forti patientià conſecrauit.
Fun-

Fundatorem Ordinis cum ſe ſciret,
Infimum ſibi, hoc eſt ſundamenti locũ optauit:
Sed, qui ſe ipſum reprobaret lapis,
Hic ab ædificantibus in caput anguli factus eſt.
Et adhuc ſuffragijs victus, & argumentis,
Cum causâ extimo caderet Sociorum in foro,
In intimo animi tribunali
Spiritalem Ignatius appellauit ad Patrem:
Qui ne ſibi & ipſe tantum honoris imponeret;
Priſtinæ vitæ ſuas apud illum ſordes
Generali rurſum exhomologeſi depoſuit.
Vſque adeò quę diuina ſunt intelligens,
Chriſtiana Humilitas, quę ſunt humana, nõ per-
Dum tanto Magiſtratui [cipit.
Suas Ignatius ſordes reputat indecoras,
Tanto illas cum ſenſu expians,
Non aduertit facere ſe ſibi decorem ex ſordibus.
Denique vtroque victus in foro,
Cum quò vlteriùs prouocaret, haud eſſet,
Paruit, vt imperaret.
Quam iuſtè ſunt hęc in Ignatium lata ſuffragia!
Debuiſſe cogi, probat eligi debuiſſe.

INSIGNE LIX:

RELIGIOSAE VITAE VOTIS ROMAE IN D. PAVLI TEMPLO SE SE CVM SOCIIS DEVINCIT IGNATIVS.



Ne inanes in frondes liberiùs arbor duffusa luxuriet, ligneis retinetur circulis, ijſque fit VINCTA FOECVNDIOR. Hoc Religioſæ vitæ vota Ignatio, Socijſque præſtitere; Ijs deuincti cumulatiorem bonorum fructum operum protulere;

EPI-

EPIGRAMMA LIX.

IN IGNATIVM RELIGIOSAE VITAE VOTIS IN D. PAVLI TEMPLO SE SE CVM SOCIIS DEVINCIENTEM.

Disperges cum Sole manus, Loyola, retentas
Cur in vincla volens induis ergo manus?
Carceris impatiens Amor est, neque longius vsquam,
Si quo ducit amor tramite, fallit iter.
At tibi Pauperies tamen, Integritasque vouetur,
Acceptaque gradi lege iubentis amas.
Tùm magis à vinclis raperis pede præpete: fræna
Hæc in virtutis tramite calcar habent.

ELOGIVM LIX,

Vasa Caritatis: & Sanctimoniæ tàm electa
Quo melius auspice, quàm electionis Vase,
Diui Pauli consecrarentur in Templo?
In Euangelium pacis
Præparatos pedes vt habeant,
Vincula sibi vitæ Religiosæ votis innectunt.
An quia in via virtùtis, & Dei
Magnum iter, & ptoperum,
Non gradiendo vbique,
Sed nusquam aberrando conficitur?
Porrò nè quis malè gradiatur, aut deuiet,
Primæ votorum pedicis habendæ sunt grates:
Qui

Qui ſuæ affixos Parenti terræ filios,
Terrenorum mole graues affectuum
Meliorem ad Patrem,
Ad Deum homines meditarentur attollere;
Gnari triplicem difficilè rumpi funiculum,
Illum ſibi voto triplici compararunt.
Iam verò vt tergeminus in nos hoſtis
Armatus pugnet, & fortis,
Nuſquã illi irrita ſine vulnere iacula magis vo-
Quàm vbi diriguntur in nudos: [lant,
Immò ne telo ſit locus,
Et Paupertas veſtes, & Caſtitas corpus,
Et Obedientia animum, dum vouentur, eripiunt.
Tum verò, vt nuſquam ſit tutus,
Triplicem hoſtẽ tergemina vbiq; Virtus inuadit.
Auidum Ditem Paupertas in Inferis,
Sordidum Leuiathan Caſtitas in tellure;
Tumidũ Luciferũ ſternit Obediẽtia, vel in Cælo.
Sed vobis omen rurſum, Patres, à Paulo.
Nomen Ieſu coram Gentibus, Regibuſque
Sine viatico non feretis.
Cum vobis, quanta pati oporteat, Deus oſtẽderit,
Ibitis ſanè annonæ tantæ ſecuri,
Cuius nimirum plena horrea inuenietis vbique.

INSIGNE LX.

GENERALIS PRAEPOSITVS RENVNCIATVS AD INFIMA STATIM DOMESTICI SERVITII MVNERA SE SE DEMITTIT IGNATIVS.



Insignem in excelsitatem postquam lilium excreuit, collo tum languido CELSVM RESPICIT IMA. Ad summum in Societate Magistratum euectus Ignatius, vltrò se domi ad ima deiecit officia.

EPI-

EPIGRAMMA LX.

IN IGNATIVM SVMMO IN MAGISTRATV AD INFIMA DOMESTICI SERVITII MVNERA SE DEMITTENTEM.

Iussa suprema tuum, Loyola, est tradere: sed tu
Iussa ministerij protinus ima capis:
Nempe, quia imperium tibi detrectare negatum est,
Pares vel minimo maximus ipse Parens.
Et lacero lances inter deiectus amictu,
Tàm vili tu te pendere lance potes.
Quid reputem? iniustè facis hæc? Loyola; sed inter
Iura humilis Virtus, ius sapit ista suum.

ELOGIVM LX:

Pręstare alijs, & sibi constare,
Quàm sit arduum, vel hinc disce.
Cælũ ipsum in summo naturâ positũ, nó fortunâ,
Adhuc tamen vertigine trepidando laborat.
Æternum sanè, ac euidens
Celsioribus aut documentum, aut conuicium,
Quo intelligant, hæc duo
Nisi cum insania coire non posse,
Celsitudinem, & securitatem.
Nemo proinde attentiùs oculos demittat ad pedes,
Quàm, in alto qui graditur,
Vbi magnũ sẽper hęret errori, vel paruo periculũ.

Humiles habeat oculos Fortunæ ſuperbia,
Quā humilē efficere ſtatim poſſit ſuperbia ocu-
Fiducia nempe ſi qua eſſe poteſt excelſis, [lorū.
Illa vel ſola eſto, vel prima,
Si, dum ab alijs efferuntur,
Non ipſi ſe efferunt:
Hoc eſt omnem ad ſublimia vim
Ambitioſi non faciunt, ſed modeſti patiuntur.
Ad Magiſtratū in Societate ſummū euectus Igna-
Puerorum in Templo Magiſter, (tius,
Minimorum miniſter domi,
Fidei Chriſtianæ illos elementa docebat,
Sodalibus ſuis parare ab his alimenta diſcebat.
Et nitorem vtrobique curans,
Illic animorum, hìc lancium,
Quàm dignus Ieſu Sodalis in Templo viſus eſt,
Tàm bonus Chriſti odor fragrauit Ignatius in
An illū humana vnquā cęcitas inueniſſet, (culina,
Quæ caput omnium
Omnium infra pedes quærere debuiſſet?
Hìc tamen quicumq; aſpicit Ignatium, ſuſpicit:
Vſque adeò alios ſupra ſurſum virtus incedit,
Cum graditur, vel deorſum.

INSIGNE LXI.

S. FRANCISCVS XAVERIVS FLEXIS GENIBVS AD IGNATIVM SCRIBIT EX INDIA.



Oriéntem Solem cętera dum moriuntur astra, suo occasu INCLINATA COLVNT. Cum se Xauerius vel animo tãtùm Ignatio pręsentem sisteret, ad illum scribens, tamquam homini, Parentique suo Sãctissimo reuerentiam flexis genibus exhibebat.

EPIGRAMMA LXI.

IN S. FRANCISCVM XAVERIVM FLEXIS GENIBVS IGNATIO SCRIBENTEM EX INDIA.

Quem tibi tot dirimunt terræ, Loyola, tot vndæ,
Te coram hæc ſiſtit pagina Xauerium.
Scripta genu inflexo eſt: qualem tibi pagina, quantum
Inflexo hæc ſiſtit poplite Xauerium!
Noſce characteres, te ſic docuiſſe Magiſtrum
Scribere, plus docet hic, quàm manus ipſa, poples.
Tantus, tàm pronus? cuius ſit epiſtola dextræ?
Inflexo ſcripta eſt poplite? Xauerij eſt.

ELOGIVM LXI.

In aras Diuorum, & titulos
Cæſarum inuade ſuperbia, ſed cum metu.
Quid? adorari ſimul, & timere non còeunt?
Si cultus ille eſſet,
Quem, aut adulatio præſtat, aut metus?
Dominum licet populus pręſentem adoret,
Illum non raró libentiùs, quàm illi litaret.
Ignatio certè negare quiſquā apotheoſim haud [poſſit,
Quem viuentem adhuc,
Xauerij ſanctitas vel ex India conſecrauit:
Minor genibus Mundus eſt ante Xauerium:
Xauerius etiam non ante Ignatium,
Illi

Illi dum ſcribit, minor eſt genibus:
Quantus ille eſt, quo tantus eſt minor!
Hìc verò Xauerium ne magis mirer
Cæleſtis pondere ſanctitatis libratum in aere,
An Chriſtianæ humilitatis hac ecſtaſi
Inclinatum in genua?
Sed qui poſt tàm alta prodigia
Tàm demiſſus apparet,
Poſt tàm demiſſum
Altiora illius incipiunt apparere prodigia:
Vſque adeò abundas, Xaueri, miraculis:
Cum ex ijs tàm multa diſpergas in Indos,
Adhuc ſuppetũt, quæ mittere poſſis, & Romam.
Ignatij chyrographum
Sacra inter lypſana
Geſtari à te ſuſpenſum in pectore;
Te adoratum ab Indis flexo genu ad Ignatium
Quanto facis iſta prodigio! (ſcribere,
Et tibi tantum itinerum, & geſtorum
Nihil tantæ potuit demiſſionis atterere?
Quid? hoc fuit in Ignatium Xauerij;
Hoc in Xauerio miraculum fuit Ignatij.

INSIGNE LXII.

SACRAMENTORVM FREQVENTIA ROMAE AB IGNATIO RENOVATA FERVOREM PIETATIS INDVCIT.



Bacchi, Cererisque potus, & esca à brutis DISCREVERE FERIS HOMINES, qui cũ feris antea & gelidã potabant, & glandibus vescebantur. Diuini frequentia epuli, quam Ignatius Romæ primùm inuexit, feruorem pietatis inducens, homines à brutis ferarum moribus vindicauit.

EPI:

EPIGRAMMA LXII.

IN SACRAMENTORVM FREQVENTIAM ROMAE AB IGNATIO RENOVATAM.

Sancta Ceres, diuina Ceres, atque vbere quamuis
Prompta manu, nunquam non pretiosa Ceres.
Annonam Loyola tuam si rursus in Orbem
Intulit, & larga dideris vsque manu,
Non vnquam tu vilis eris, sed sparsa per omnes,
Conuiuis pretium tu pretiosa feres.
Languebat Pietas? nempe hoc penuria fecit:
Quid Cereris fecit copia? conualuit.

ELOGIVM LXII

Vitalem necesse est calorem minui,
Vbi vel nimia sit abstinentia cibi, vel horror;
Porrò frugis diuinæ cibum
Non nisi Pietatis appetit calor;
Et hic rursum cibus
Nonnisi calorem appetit Pietatis.
Vt tàm inuenire non sit,
Qui hunc non sumat, & caleat,
Quàm qui caleat, & hunc non sumat.
Veteris proinde malitiæ fermentum abijcere
Nemo faciliùs possit, & citiùs,
Quàm qui frugi se dederit Eucharistię tàm bonę:
Ne-

Nemo etiam ſe certiùs approbet
Dignum horreis Cæli frumentum ;
Quàm in quo probata ſatis
Plena Deo inueniatur hæc Ceres .
Vt ſibi conſtent, non impetrabunt homines ;
Niſi vino hoc ſe inebrient virgines germinante.
Pocula Cæli omnia, vel nectaris,
Tamdiù erunt amara potantibus ,
Quamdiù ab hoc vitis fructu verè dulciſſimo
Guſtare non incipiunt,quàm ſuauis eſt Dominus.
Porrò ad hoc Ignatius iuge conuiuium
Sodales acciuit
Pij feruoris inuitamento frequentes .
Inde expiatis animæ ſordibus,
Cum à paſtu homines pecudũ brutarũ horrerẽt ,
Splendidè conuiuantibus
Nitorem etiam adiecit in menſa .
Ab Ignatio enim nitere ornatiùs ,
Ornari nitidiùs & Templa cęperunt,& aræ.
Hunc Ioſephum,ſit licet Pharao, Mundus colat:
Voluntaria in fame populi perire ne pergerent,
Vberis hic vſum dedit annonæ.



IN-

INSIGNE LXIII.

LVTHERIANI RABVLAE DISSEMINATOS IN CONCIONIBVS ERRORES ROMAE DETEGIT EOSQVE REPELLIT IGNATIVS,



Edita de turri accensa fulgens lucerna scopulos in circumfuso mari prostantes DAT VITARE DVM DAT VIDERE. Scopulosam Lutheriani asseclæ doctrinam dum Romę detexit Ignatius, illam vt populus euitaret, effecit.

EPIGRAMMA LXIII.

IN IGNATIVM LVTHERIANI CONCIONATORIS ERRORES DETEGENTEM, EAQVE PROPTER IN INVIDIAM ADDVCTVM.

Dum Lutheriacus, dente infrendente, Quiritum
Mordet in attonita Cerberus Vrbe Petrum.
Approperat, monstri compescat vt ora trifaucis,
Pro claua, Ignatii spiritus, igne domans.
Inde reluctantis, latebrasque, vmbrasque tenentis
Perfida Romana perculit ora die.
Inuidia hic contra Loyolam est orta: Tonantis
Hunc prolem, hæc Iuno, hic Cerberus ergo probant.

ELOGIVM LXIII,

Gratis nunquam gratum se præstat scelus.
Alienam in perniciem
Sua fœnerat nocitura, cum placet.
Præiuit nimia cum libertate licentia?
Tyrannidem expecta cum seruitute pedissequã.
Hæresim porrò nemo satis exhorreat:
Et auro, & dulci Babilonis hæc mulier
Malis confusum artibus,
Venenum impium propinat errorum.
Et fraudibus illa suis
Cum diem veritatis extinxerit,
Tunc scelerum latrocinijs adoritur in nocte:
Dum

Dum Romanus abeſt ab Vrbe Paſtor,
E' Lutheri luſtris in Chriſti ouile
Romam lupus ingreditur.
Et quidem Religioſæ vultu, habituque familiæ,
In ouis pelle ingreditur lupus rapax.
Tum ſacris è ſuggeſtibus rabula
Cum, quę placerent auribus, loqueretur,
Sacerrimis ſuggeſtionibus
Perſuadere cæperat animis, quæ nocerent.
Rumore interim ad ſe rei perlato,
Noluit excitare turbas Ignatius,
Adit priuatim ingenuus ſycophantam.
Sed, alios dementare qui vellet,
Saniora ad reſipiſcendum
Noluit furens Ignatii audire conſilia;
Quin Inſtructori bono malorum ſtructor;
Flammam in Ignatium
Communis exciuit inuidiæ. (ditur.
At innoxiũ sẽper ignẽ adamãtina Virtus ingre-
Contra improbus ille ſcelere iam depreñſo,
Vt publici fori ſe ſe flammis eriperet,
Aquilonaris plagæ redijt fugitiuus in glaciem.
Quàm interim nõ mercenarius Petri Ignatius eſt,
Cuius pro grege ponere ſic animam eſt paratus.

IN-

INSIGNE LXIV.

EX OBIECTIS FALSO' CRIMINIBVS, MIRABILI RATIONE ROMAE IGNATII SANCTITAS APPARET.



Falſam rebus vel minimis magnitudinem microſcopium dum affingit, illarum figuræ apparet ignorata VERITAS EX MENDACIO Conficta in Ignatium crimina hoc illi profuere: cum de ijs iudicio quæritur, mirabili ratione vera Ignatij Sanctitas apparet.

EPI:

EPIGRAMMA LXIV.


IN IGNATIVM FALSORVM CRIMINVM ACCERSITVM, EX IISQVE RATIONE MIRABILI ABSOLVTVM.

En cui tàm crebrò ſquallens in carcere pœdor
Perfidia infecit facta luente genas.
Haud vnum impoſtor fidei Minoa, nec vna
Ignemque, & meritam fugit in Vrbe crucem.
Loyolam agnoſcat Mundi arbitra Roma: tot Vrbes
Quod nequiere, potens obruat ipſa nefas.
Inſimulator, ades: cognoſcit Roma; ſed ecce
Roma reum abſoluit: Roma tibi impoſuit.

ELOGIVM LXIV.

Telluri quandoque proſunt, & fulmina:
Quę ſterilis putabatur intacta,
Aut gemmis, aut auro detectis,
Sciſſa vulnere patuit pretioſa.
Bilinguium inuidorū linguis pluſquàm triſulcis
Romæ fulminatus Ignatius,
Facto velut in tellure cordis hiatu,
Theſaurum illicò probitatis oſtendit.
Seù teſtibus tempus,
Seù tempori accuſationem accōmodans,
Calumniæ telam,
Quam denſo textu implicarat improbitas,
Por-

Portento retexens rariore Deus explicuit.
Ità Ignatij vitæ, morumque
Iudices alibi, Romę teſtes adhibuit:
Qui ad diuerſa quiſque negotia cum veniſſent,
In hoc omnes,
Vt cum laude teſtarētur de Ignatio, conuenere.
Doli cuniculum vbi rimata veritas eſt,
Vi aſtus omnis in auras efflatâ per rimas,
Plauſum fragor ille innocenti edidit, nō ruinam.
Et rumpi tunc debuit liuor,
Dum conſtantiam nequijt virtutis effringere.
Sectis ità capitibus, contra obtrectantium virus
Hæ demū viperæ in elemētū antidoti trāſierūt.
Tum à quo peſtilentiâ velut afflato,
Calumnia morboſa cum gliſceret,
Horrebant ſcelerum plerique contagium,
Perſpicuâ deinde veritate,
Ab eo ſanandis animis
Parauere ſibi morborum omnium panaceam.
Tàm prouidè cum virtute Deus agit, & benè:
Ne non ſit vbique ſemper intrepida,
Tutiſſima illi conflat, vel ex hoſte præſidia.



INSIGNE LXV.

IGNATIVS, ET SOCII IN INVIDIAM ADDVCTI, ET LATERE ALIQVAMDIV COACTI, PERSPECTA INNOCENTIA, CVM PLAVSV TANDEM ERVMPVNT.



Quos viminea clausos in theca tẽpore inclementiori seruamus, POST EXACTAM HYEMEM flores ex illa effracta pandimus erũpẽtes. Ignatium,& Socios continuerãt aliquandiù domi ex liuore confictæ calumniæ: Virtutis suæ florem palã deinde exactâ illâ tempestate protulere.

EPIGRAMMA LXV.

IN IGNATIVM VNA CVM SOCIIS AB INVIDIAE PROBRIS CVM GLORIA ERVMPENTEM.


In tua, liuor edax, vertes iam viſcera dentes,
Loyolæ irritat cum tibi fama famem.
Exijt è latebris, & falſas exuit vmbras
Spectatæ Virtus cyclade lucis ouans.
Eripe te Cælo, Stygijſque immitte cauernis,
Turbatamque fremens nocte repende diem,
Immò mane, nullam tibi iam Styga deprecor: omnem
Loyolæ ſortem videris, hoc ſatis eſt.

ELOGIVM LXV,

Time diem, ſcelus,
Tunc maximè, cum opertam tenebris
Latere compuleris in nocte virtutem.
Bellua, liuor, immanis, patique manum inſueta,
Cum tàm metueret cicurari, quàm nollet,
In quas ipſa conijci debuit,
Humanitatis Magiſtros penè egit in caueas.
Nil profectò Roma magis præpoſterè factũ vi-
Quàm cum innocentiæ agnis (dit,
Obſeratæ domunculæ incluſis ergaſtulo,
Toto in Vrbis theatro
Calumniantium lupi liberiùs ferocirent.


Vſque

Vsque adeò arduum est virtùti stare,
Cum ab illa ruinam timet improbitas.
Verùm erectâ demum virtute
Vitium nunquam stetit.
Nullo licet illa verbere
Scelere compactos Iericunthinos muros arietet,
Clangente famæ tuba
Illos vel sono virtus euertit.
Iesu Socios, augusta pectora,
Domus arctant angustiæ?
Time iterum, scelus:
Magnum in te virtute agis arctatâ cuniculum:
Vt illum scintilla vel tantula
Veritatis attigerit,
Tuarum in te fraudum arces quatiẽdo disijciet:
Ne presso tellus àeri pondus fiat:
Per excussos ille demum vel montes exiliet:
Supra & àerem leuis,
Et ignem ardens est Virtus,
Suum illi, suũ hæc sibi locũ quærit, & vindicat.
Vt scias, liuor, quàm deprimas periculosè virtu-
Debitus illi locus, est Cælum. (tem:



INSIGNE LXVI

COLLEGIVM ROMAE GERMANICAE, ET HVNGARICAE IVVENTVTIS INSTITVIT IGNATIVS.



Dispositis ex arte, firmisque surgens propugnaculis Arx, suum habet A FORMA MVNIMEN: Vt ad Romanam propugnandã fidem Germanica, & Hungarica Iuuentus valeat, Collegium illi Romæ Ignatius optimâ formâ litterarum, & pietatis instituit.

EPI-

EPIGRAMMA LXVI.

IN GERMANICAE, ET HVNGARICAE IVVENTVTIS COLLEGIVM ROMAE AB IGNAT. INSTITVTVM.

Sparsit Hyperboreis glacialem in montibus Arctos
Canitiem, & pigra torpuit Ister aqua:
Addis caluitium, Caluine; *et transfuga Luther;*
Et centum adijcitis sordida monstra lutum?
Cæsareæ soboles Aquilæ germana, periclum
Romani ad Solis lumina sume tui.
Ne glaciem, aut sordes habeas, te Ignatius arsit:
Hoc tibi ab Igne *calor: hoc tibi ab Igne decor.*

ELOGIVM LXVI.

Lernæ monstrum capitale Hydra,
Quàm multis te capitibus Hæresis impiat,
Aquilonaris plaga!
Hoc interim te portento, suo vt expiet Igne,
In Germanica, & Hungarica prole.
Ad ardua quælibet fortes, & alacres
Hercules Ignatius Romæ instituit domitores.
Profunda Iunionius ille Tartara
Viuus penetrarit in fabulis:
Et illustris pompâ mendacij
Trementem Cerberum
Soli potuerit ostentare pallenti:

Verum in hiſtorijs
Tuum erit, Iuuentus Germana, præconium,
Quæ non medicatis frugibus offâ,
Sed ingenuâ veritate
Tria guttura latrantis impietatis oppleueris:
Immanique porteto, nō ſopore ſtrato, ſed funere,
Ad inferos ne trahantur,
A' ferali animorum interitu
Tám multos vitæ iam aſſeras, & ſaluti.
Interim altrice Româ
In hæc portenta virium adulta grandeſcis:
Ignatij animata calore
Secura vitæ es,
Quæ exculta virtutibus,
Tandiù animorum diſtas à funere,
Quandiù vitiorum non torpes à frigore.
Litteris etiam, ac diſciplinis imbuta
Romanum Cælum, & mores
Sic iam fer tecum, vt transferas:
In hoc enim te Roma educat, edocetque,
Vt hanc demũ diſcas facere de ipſa metaphorã;
Nihil enim tuo ex inſtituto propriè magis effe-
Quàm cum hoc feceris, (ceris,
Româ: tecum tuas in oras inuectâ translatum.

IN.

INSIGNE LXVII.

CONSTITVTIONES SOCIETATIS AB IGNATIO SCRIPTAE FREQVENTIBVS DIVINAE TRIADIS, ET DEIPARAE APPARITIONIBVS COMPROBANTVR.



Solis ac Lunæ ALTERNO MVNERE VISA tutò via inceditur. Religiosæ perfectęque vitę semita an non clarè pateret Ignatio qui, de illa Constitutiones dum scriberet, & Diuinam Triadem, & Deiparam Virginem sibi habuit affulgentes?

EPIGRAMMA LXVII.

IN IGNATIVM SOCIETATIS CONSTITVTIONES FRE-
QVENTIBVS DIVINAE TRIADIS, ET DEIPARAE
APPARITIONIBVS CONSCRIBENTEM.

Quàm pleno (Loyola vides ?) in lumine Virgo !
Quanta tibi rupto fulget ab axe dies !
Dignum nocte sua quid vana lucerna Cleanthem ,
Doctasque eloquij laudet in arte moras ?
Dum scribenda facis , scribis facienda , lucerna
Ignati , et Mariæ , et Numinis illa probat .
Perge Parens : Iesu trahis hac in luce Sodales ?
Qui sequitur te non ambulat in tenebris .

ELOGIVM LXVII:

Ne Spartam desideret aliquis in Societate
Vel Romam ,
Ad propugnandam fidem ,
Et pectora Socij pro mœnibus habent ,
Et Pietatis cultu Religionis Arcem ędificant.
An Legislatore in Ignatio
Meliorē sortiti sunt Socij & Licurgū, & Numā ?
Et illorum alter fortibus ab Apolline ,
Pijs alter legibus ab Ægeria fidem adsciuit :
Quid Ignatius ?
Augustioribus tantò, quantò & verioribus
Vtrumque superauit auspicijs .

Supra

Supra barbaram Spartanorum,
Supra Romanorum impiam,
Piam fortitudinem, fortem Pietatem
Suis Ignatius legibus Socijs imperauit.
Interim pro tripode Apollinis, Solis diuini Tria-
Pro falso Ægerię Numine, (dem,
Veram Deiparam coram habuit approbantes:
Quid? suę hypostasim voluntatis
Cum Iesu fecit Iesu Societas:
Hinc vnum est vtrique
Pium ex ęquo votum, & forte,
Aliorum iu salutem & viuere, & mori.
Effectus eiusdem causę sunt eædem?
Hinc corporibus
Iesu, ac Societatis Iesu formandis
Deus pariter, ac Deipara conspirarunt:
Securo iam animo, constanti & manu
Scribe leges, Ignati.
Tuam in istam paginam
Quæ ná è terris irrepere vmbra possit erroris,
In quam Parens ipsa Veritatis
Tanta se cum luce fundit è Cælo?
An lituram illi quisquá audeat Censor inducere?
Sed scripta hęc omnia Palatij Magister ætherei,
Et Summus idem Pontifex approbauit, Deus:
IN.

EPIGRAMMA LXVIII.

HONORES IN SOCIETATE AB IGNATIO REPELLVNTVR.



Elegantes, proceræque lauri ſi vineam ambiant, opportuno ad fructum negato illi Solis aſpectu, ORNANT, SED IMPEDIVNT: Conſitæ in fructum Societati ne dignitatum honores obeſſent, illos ab ea excluſit Ignatius.

EPI-

EPIGRAMMA LXIII.

IN HONORES AB IGNATIO IN SOCIETATE REPVLSOS.


Seù tumet in Tyrio pretiosum syrma ueneno,
Aula uel à Phrygia barbara fulget acu;
Seù graue gemmato caput à diademate multum
Inter adoratum pondus Inanis habet,
Esto procul, speciosa oculos non figis honorum
Vmbra: nec in nostra quæritur umbra die.
Vrere decretum est Socijs; nemo efferat ignem.
Vi flamma vrendi, cum tenet alta, caret.

ELOGIVM LXIII.

Nunc verò Insulæ Ignatium accusate superbiæ:
Crimen diluere certè non poterit,
Qui vos, nuncupato etiam voto, nolit admittere.
Sed illum tamen absoluite:
Cum reuerentia omnis,
Velut à longinquo, sit maior,
Vt vos colat impensiùs,
Aditu vobis in Societatem obstructo,
Procul vos decreuit aspicere.
An verò Societas illa
Longum syrma trahere possit à tergo,
Quę Iesum in fronte gerens,

Ex

Ex instituto debet succincta lumbos incedere?
Depositura venis sanguinem,
Quid humeris ostrum ambitiosum imponat?
Quę verò Societatis ambitio est,
Labores suos
Sanguinis habet, non purpuræ candidatos.
Quem cum omnem exhaustâ vitâ persoluerit,
Tunc vnum illum pileum sumat,
Quo in libertatem asserta filiorum Dei,
Manu vel atrâ mortis
Transcribatur in album cęlestium Purpuratorũ.
Porrò Societatem Iesu
Filiam suam, non mercenariam
Pastor hinc Petrus agnoscat:
Vt pro Christi ouibus ponat animam,
Non vt Christi oues denudet in pretium,
Hoc vno diuino affectu Vaticani seruit imperio,
Quæ humanis affectibus se maior nouerit impe-
Tu verò hic, Sodalis Iesu, te proba: [rare.
Lineamentis hisce consimilem
Vultum animi si non habeas,
In ingenua sobole te ipsum time degenerem.



IN-

INSIGNE LXIIX.

IGNATIVS SIBI SOCIISQVE TESSERAM FACIT; AD MAIOREM DEI GLORIAM.



Planetarum orbibus, qui proprio motu in occasum feruntur ab ortu, inſcriptum eſt, RAPIMVR MAIORE, quia maioris Cæli motu ab occaſu rapiuntur in ortum. Sua, & Sociorum vota, Ad maiorem Dei gloriam, motu hoc ſupra cæteros celſiſſimo, rapi voluit cæleſtis impulſu virtutis Ignatius:

EPI-

EPIGRAMMA LXIX.

IN IGNATII, ET SOCIORVM TESSERAM A.M. D.G.

Siue molenda Ceres vento est, Operatur in alto,
Fortia ventorum quæ mola flabra petit.
Siue ingens ratis æquor habet, Iuuat ire per altum
Nec pigra telluris radere littus amat.
Siue tenebrarum pelluntur ab Orbe phalanges,
A maiore oritur sidere vecta dies.
Spargere sic iubar, Ignati sic uela per æquor
Tendere, sic Cererem ferre salutis amas.
Ergo sola tuum diuina est gloria uotum,
Maior & est uotum gloria sola tuum.
Esse tibi uanum quis dicat nomen ab Igne?
Qui nunquam dicit sufficit, Ignis hic est.

ELOGIVM LXIX.

Tàm ſanam eſuriem, & tantam
Non niſi benè valenti exercitatio iugis irritat.
Fortia & agens, & patiens
Calorem ſtomacho Ignatius cõcepit immodicũ.
Paraſitator proinde nobilis
Immenſam dumtaxat ad menſam
Maiorem Dei gloriam opſonatur.
Portò fluxere ludibria,
Quando Ignatius totus ſudat in gloriam,

Quam caducam ne reputes, Dei est,
Ne vanam, satagit pro maiore.
Mare iam in Ignatio nosce, vel Solem.
Vt probrosa in ipsum flumina deuoluat inuidia,
Suum nomen hoc amittent in pelago.
Vt labes illi aspergere conetur improbitas,
In lucem hoc degenerabunt in Sole.
Et Iesu Societas
Diuinæ glorię syncategorema infinitū amplexa,
Laborum, facinorum
Nec Isthmo territa, nec immensitate perculsa,
Nullum sibi Herculem,
Nec ab alio passa est obijci, nec à se se.
Termini proinde tàm impatiens, quàm ignara,
Diuinæ gloriæ facturas vbique basim,
Suas vlterius propulit columnas, & protulit,
Gloriosiore dignas epigraphe,
Quia maiore Dei gloria inscribendas:
Dignum sanè Ignatio votum,
Quia Ignis celsitate digna superbia:
In Cæli tantùm sublimi Ignis,
Diuinæ solùm in sūmo gloriæ quiescit Ignatius.



INSIGNE LXX.

OBEDIENTIAM PROPRIVM SOCIETATI CHARACTEREM FACIT IGNATIVS.



Teneriores cum ex arte flores inteximus, eorum facili A FLEXV FORMA quæuis effingitur. Ordinis sui Socios in omne Maiorum imperium, & nutum non aliter Ignatius pro indito Iesu nomine voluit esse flexibiles.

EPIGRAMMA LXX.

IN OBEDIENTIAM PRO CARACTERE SOCIETATI TRADITAM AB IGNATIO.

Texat equo thoraca Cilix, villosa det Vrsus
Strata alijs, patriam Caucasus, antra lares.
Sunt, quibus est pulchrum per Tartara quærere Cælum,
Et quibus æternum vita sepulta mori est.
Sit Socijs, Loyola inquit, parere, character:
In meriti & grande hæc tessera nomen eat.
Victor habet palmas, qui paret, & imperat astris:
Parere imperijs, imperium parere est.

ELOGIVM LXX.

Cum Cæli, & via, & ianua sint angustæ,
Citiùs vtramque, ac certiùs
Nemo possit inuenire, quam cœcus:
Sed qui suis quidem pedibus
Oculis tamen ambulet alienis.
Sphyngem dedi, & Oedipum dabo?
Vir obediens hic est:
Qui membrum cum sit Christi, non monstrum,
Oculos suo tantum habere debet in Capite.
Ità quod illi, aut dirigendo vident,
Aut indicant imperando,
Cœcus ipse sequitur diligendo facilis,

Parendo fortis exequitur?
Quid? militia eſt vita hominis?
Vt Ordinis ſui militia obediens
Victorias loqui poſſet in Cœlo,
Militarem illi Obedientiam
Ignatius imperauit in terris.
Profanæ olim accenſus amore militiæ.
Militiam poſtea diuini amoris inſtituens,
Hoſtem illi non mentem mutauit armorum.
Filios proinde lucis in Principẽ inſtruẽs tenebra-
Sua vt tela certos ſemper in ictus dirigant; (rũ,
Illos Obedientiâ prorſus excœcat.
Porrò ſi iubentis in capite
Noſter oculus Chriſtus eſt,
Quàm nobis totum corpus lucidum erit;
Quorum oculus nequam eſſe non poteſt!
Denique cum æquè monſtroſum ſit,
Aut truncum, membra omnia ſine capite,
Aut hydram, omnibus habere caput in membris,
Suum Ordinẽ, formæ corpus præſtãtis, vt faceret,
Membris omnibus vnum caput impoſuit.
Factus eſt obediens ad vſque mortem Ieſus:
Vitæ noſtræ factus eſt, obedire, character:
An Ieſu non ſit ſocius, qui Ieſu ſit ſimilis?

INSIGNE LXXI.

CATHECHISMI PVERIS TRADENDI MOREM INSTI-TVIT IGNATIVS.



Suis in nido pullis mater auicula apta deferens alimenta, MOLLITA DAT TENERIS. Alendis, imbuendisque Christiana pietate Pueris, fidei nostræ elementa in Cathechismi tradendi forma, eius moris Ignatius institutor emollijt.

EPIGRAMMA LXXI.

IN CATHECHISMI PVERIS TRADENDI MOREM AB IGNATIO INSTITVTVM.

Nempe rudimentum linguis infantibus hoc eſt,
Quod nullo euoluent ſine Lycea ſatis?
Aetheris arcanum, Triademque, hominemq; Tonanten
Infanti infandum hoc audeat ore Puer?
Balbutire Deum ſcis infans lingua? diſerta es:
Altior hac vnquam non tibi gymnas erit.
Eloquĳ ſileas tua numina, Roma: diſertas
Infantum linguas qui facit, hic Deus eſt.

ELOGIVM LXXI.

In hoc tenui, ſed non tenui cum gloria
Magnus ſudauit primò labor Ignatij:
Vt odorem diù,
Quo ſemel imbuta fuerit ſeruatura,
Benè pueritia imbuatur.
Ieſu proinde pigmentarius
Puerorum in vaſcula
Diuini nominis oleum,
Hoc eſt, Chriſtianæ balſamum pietatis infudit.
Ipſo ſtatim initio, ſuo de fine
Aetutulam rudem noluit ignorare.
Vſque adeò illam ſapere docuit ante, quâm ſcire,
Iam

Iam verò qui, ad ſe vt veniret, paruulos inuitaret,
Christum viciſſim
Libenter ven ire ratus ad paruulos,
Per fidei & documenta, & opera
Simul Christum ad Pueros,
Simul Pueros deducebat ad Christum:
Ituris naturæ prauitate in obliquum ſtirpibus,
Ne in dirigendis adultis
Labor olim conaretur inanis,
Teneris adhuc, regulã vitę morũq. rectã applicuit.
Iam verò Gentium auctore Magiſtro,
Opera quæ neſciat, mortua Fides eſt;
Ergo viuere Christum in illo quis credat,
Qui & Chriſti Fidem, qua credat, ignorat?
Mammilla Regum hæc eſt:
Huius concupiſcite lac, Infantes!
Quo benè quiſquis alitur,
Ne cum terræ filijs volutetur in ſordibus,
In Cœli porphyrogenitum educatur.
Agite iam, prolem quicumq; benè amatis, Patres,
Sinite paruulos ad Ieſum ire per Socios:
Hoc nempe, votum Ieſu, quod fuit,
Ambitionem fecit Ignatius Sociorum.

INSIGNE LXXII.

SOCIETATI PRAECIPVVM STATVIT MVNVS IGNATIVS, IVVENTVTEM IN SCHOLIS INSTITVERE.



Citrium malum ſuo incluſum continemus in modulo, DONEC FORMETVR in ipſo iam adulto moduli continentis imago. Et Scholas inſtituit Ignatius, vt ab earum modulis, litterarum, & pietatis imaginem incluſa Iuuentus accipiat.

EPI-

EPIGRAMMA LXXII.

IN BONARVM ARTIVM SCHOLAS AB IGNATIO INSTITVTAS.

Cude numiſma, Puer, ſed imagine cude Tonantis,
Ex auro mentis cude numiſma, Puer.
Iunge bonis diſcendo bonas virtutibus artes:
Scire, hoc eſt hominis; ſed benè ſcire Dei.
Non ſecus ex Pueris Loyola numiſmata cudit,
In quibus et Pallas iungitur, et Pietas.
Exige: cui Domino hoc ſolues, Libitina, tributum?
Hæc duo quod cudunt ſigna, numiſma Dei eſt.

ELOGIVM LXXII.

Vt pretioſior ſit auro ſcientia,
Adhuc non eſt ſine igne Caritatis obriza.
Adhuc ſine oleo Pietatis,
Cum vili ferro à rubigine non eſt tuta:
Quam à ſcelerum attactu cum contrahit,
Tunc ſæpiùs quàm ferro aurum,
Ignorantiâ fit ſcientia ipſa nocentior.
Nam quando cuique non præſtitit
Carere ſcientia, quàm abuti?
Bonis artibus cum Scholas Ignatius aperiret,
Aditum malis obſtruxit astibus, ne ſubirent.
Ad quos eliminandos ſæuire cum vellet,
Ipſo in limine frontem ſtatuit Pietatis:

Tantulis proinde in Pueris,
Quanti & Steropes educantur, & Brontes!
Atque hi non sub ignis Deo Vulcano,
Sed sub igne Dei Ignatio,
Vera fulmina vero procudunt Ioui.
Monstrosis terrę filijs
Gradus olim in Cœlum, Pelion, Ossa:
Nefarijs inferorum asseclis
Fraudes, scelera, montes in Superos.
Trisulcis ignibus vindicatum est de Gigantibus:
Pijs litteris de rebellibus triumphatur.
Iam, inuestigare de Mundo
Hæc homini occupatio data sit pessima:
Cum in vsus tàm bonos illa concesserit,
Melior hac homini occupatio dari non poterit.
Denique, vt sis ad sobrietatem sapiens,
Misce meram Pietate Scientiam:
Vt sis ad Sapientiam sobrius,
Meram misce Scientia Pietatem:
Pietas tibi;
Etiam alijs te Scientia præstat bonum:
Macti, Iuuenes: Serpens liuore iam rumpitur:
Pijs his artibus malum, bonumque
Reprobare, & eligere cùm scietis,
Verè eritis sicut Dij.

SIGNE LXXIII.

OCIETAS AB IGNATIO TOTO TERRARVM ORBE DISSEMINATVR.



Signiferi Orbis, & Vrsæ sidera vides expressa: Vertente se breui ambitu frigidâ circa Polum Vrsâ, Zodiaci sidera FERVIDIORA LATIVS prouehuntur. Quam Dei, Fideique causâ suam voluit ardere Societatem Ignatius, hanc vbique diffusam in Mundum omnẽ voluit disseminari.

EPI-

EPIGRAMMA LXXIII.

IN SOCIETATEM TOTO TERRARVM ORBE AB IGNATIO DISSEMINATAM.

Orta recens, et adulta breui, numerosa per Orbem
Brachia, Loyolæ porrige lecta cohors.
Hesperus haud noctis, neque vultus terreat umbris
Eous; flamma Sirius, Vrsa gelu.
Tu Zephyris vinces Austros, ardore Triones,
Et cadet ante tuum quælibet umbra iubar.
Meta tibi haud Cancer, neq; sit Capricornus: vt omnes
Irradies, Tropicus Solis vbique tui est.

ELOGIVM LXXIII.

Quanto ferbuit calore Parens Ignatius,
Qui sparsos vbique filios
Membra sua potuit animare tàm dissita!
Totius Mundi hospita
Futura Romæ Iesu Societas,
In totum terrarum Orbem
Suas deducit ab Vrbe colonias.
Et nunc pulchri pedes euangelizantium pacem
Tartareo prædone depulso,
Positione sui
Cœlesti pro Domino adeunt possessionem:
Horreis daturus messem æternis,
Vbi-

Vbique ſeminandum cenſuit bonus Agricola:
Porrò bonum hoc ſemen, mala omnia pati,
Et ſuis, & Sociorum humeris
Securam ſarcinam conſultus Parens iniecit:
Docuitque melius exemplo, quàm verbis
Barbarorum terras deſertas, & ſteriles
Ad bonam, vberemque frugem
Immitia ab ijs omnia patiendo manſueſcere.
Atque hìc caritatis, lector, alchimiam
Vel intellige, vel mirare.
Populos tàm multis in regnis tàm innumeros
Vt ab interitu vindicaret in ſalutem,
In terras omnes, & maria
Suo Socios Ignatius miſit è cœtu tàm paucos:
Sed homines in hac humana cõpage vix homines,
Quia agente Deo penè iam ſpiritus,
Suum Ignatius ad ignem planè fecit empiricos.
Quicquid enim de ſe aſpergerẽt ipſi vel modicè,
Tartara licet ſaperet,
Virtutis illicò redolebat empyreum.
Vſq; adeò verum in omnes diffũdi vult bonum:
Et omnia vel vnus implet,
Vnus quem implet Deus.



IN-

INSIGNE LXXIV.

SOCIORVM VVLT ESSE VOCATIONIS IGNATIVS, ANIMARVM CAVSA DIVERSA LOCA PERAGRARE.



Dum irrequieta circumaguntur in Cœlo ſidera, rebus ſubiectis omnibus ſua VERTIGINE PROSVNT. Vni loco ſuos ſocios noluit Ignatius affigi, quos Dei gloriæ, & proximorum ſalutis ergo ad terras omnes, & maria obeunda voluit expeditos.

EPI-

EPIGRAMMA LXXIV.

IN SOCIETATEM DIVERSA LOCA EX PROPRIAE VOCATIONIS INSTITVTO PERAGRANTEM.

Damnante an Cœlo ritu Scytha barbarus omni est?
Barbarus anne vagam fertque, refertq; domum?
Ire Iuuat, Socij, ritu hoc: quacumque vagantes
Vectare, et nulla figere sede lares.
At, sibi quò prosit, mutet Scytha barbarus oras,
Vos uariante alios, ite, iuuate domo.
Tunc Scythicum, vestrumque hominum ne credite morē:
Ille feras deceat, sed decet iste Deos.

ELOGIVM LXXIV.

Cui solum omne patria est,
An non fortem Societas Iesu se probat?
Amplius etiam;
Cui nulla tellus est patria,
An non se probat Societas Iesu fortissimam?
Ecquid illa sit fortius,
Quæ nusquā per vim potest nec teneri, nec pelli?
Vnde autem pellas, quæ ita vbique ciuis est,
Vt exul vsquam esse non possit?
Vbi teneas, quę ità vbique exul est,
Vt patriam nusquam habeat nisi in Cœlo?
Sui tandiù secura censſus, quandiù corde nō caret,

Supellectilem omnem non ſupra humeros;
Sed intra pectus Ieſum quòquò vehit,
An non omnia bona ſua ſecum portat?
Suum ſtatuens in labore brauium,
Comprehenſura currendo, quieſcit in motu:
Quem vt in ſe poſſit experiri perpetuum,
Salutis alienæ calcari ſe commouens,
Per omnium patientiam ærumnarum,
Nec otij patitur carceres, nec quietis.
Arbor ſanè bona
Bonos datura fructus vbique,
Translatitia veluti planta,
Nullam, vt frugifera ſit,
Certam ſuæ depoſcit radici tellurem.
Sanguine, quem Societas in venis,
Deo, quem geſtat in corde,
An non ſata omnia
Et fœcunda, & felicia poſſit efficere?
Alia alio in ſolo poma
Veneno exuto manſueuerunt:
Societatis fructus eſt, Chriſto inſito,
Vel infectis terrarum campis,
Virus omne ſuperſtitionis auferre.

IN-

INSIGNE LXXV.

SOCIOS IIS SAEPE VERBIS HORTARI CONSVEVIT IGNATIVS, ITOTE ET OMNIA INCENDITE ET INFLAMMATE.



Horridum vepretis informibus agrum, vt frugi ſit, INCENDERE PRODERIT. Scelerum dumis cum Ignatius mundum omnem horrentem aſpiceret, illum, ad bonam ferendam frugem, vt feruore ſpiritus incenderent, Socios hortabatur.

EPIGRAMMA LXXV.

IN IGNATIVM SOCIOS IIS VERBIS ADHORTANTEM, ITOTE, ET OMNIA INCENDITE, ET INFLAMMATE.

Qua niue, quo Borea, quo pigro afflata Boote
Tota sub æterno frigore torpet humus?
Ferte citi flammas, Mundusque resurgat ab igne,
Cui longum est funus, funus, et vrna, gelu:
Igneus hæc Socijs passim Loyola; profari
Non aliter poterat lingua? cor Ignis erat.
Ignis erat cor? cor dederat Loyola Tonanti;
Cordis et Ignati cor Deus Ignis erat.

ELOGIVM LXXV.

Mundo tot sæculorum senio laboranti
Quid antiquius,
Quàm calor refrigesceret caritatis?
Tanto proinde seni, & tàm frigido
Quæ nam ad fouendum sufficeret Sunamitis?
Iesu inuenta Societas est,
Quæ bonorum operum amplexu feruenti
Castè se Mundo iungeret in salutem.
Et suo laborantem sæculo Phænicem Mundum,
Vt viuidam reuocaret ad Iuuentam,
Strue hac verè odorata Caritatis,
Suis á filijs iussit illum Parens incendi,
An

An potius, arida omnia cum videret in terris,
Nihil habuit aliud,
Quod illis voueret Ignatius, nisi flammas?
Et vndis vltricibus
Cum abluere olim Deus
Mundum ad munditiam nequiuisset,
Ignibus nunc beneficis
Illum expiare tentat Ignatius ad splendorem:
Postquam diuinæ legis immemores,
Obliuionis in puteum
Ignem homines Caritatis abiecerant,
An non ille à scelerum corruptela
Crassam ibi transiret in aquam?
Adhuc tamen nouus Elias, Ignatius
Homines Deo consecraturus in victimas,
Ignem illinc feruidæ pietatis accendit:
An quia, indignationis qui latebat in nubilo,
In mera sudæ Caritatis die
Per Iesu Socios Iustitiæ Sol refulsit?
Age iam:
Vt faustè diem summi Iudicis vltimū anteuertas,
Has in te flammas terrarum Orbis admitte.
Non erit olim, cur vltor in te ignis ille descendat,
Si hoc ab incendio, scelerum sublata materie,
Quid in te possit vrere, non habebit.

INSIGNE LXXVI.

INSTITVTIS IGNATII, SOCII OMNES IN LVSITANIA APOSTOLI NVNCVPANTVR.



Granis eodem ſub cortice punici mali contentis, ab impoſita verticis corona HONOR OMNIBVS IDEM eſt. Vlyſipponenſes eos omnes, qui inſtitutæ ab Ignatio Ieſu Societati nomen dediſſent, ſpecioſo Apoſtolorum nomine coronarunt.

EPI-

EPIGRAMMA LXXVI.

IN LVSITANOS, QVI IGNATII SOCIOS APOSTOLOS NVNCVPARVNT.

Magnanimi, & Solis Soles Orientis, & armis
Lusiadæ, & magni ter pietate Duces,
Loyolæ socios quo nomine fertis? Iesu
Qua tituli clarus laude Senatus erat.
Non est desidiæ, non nomen, Apostolus, vmbræ est:
Et vos Sol vocat in prælia, Lusiadæ.
Hoc eat armato armatus cum milite miles,
Et labarum labaro firmet vterque suum.
Ne pereat, vincatur Eos: vos prælia vestro
Marte, at nos nostra vincere morte iuuat.

ELOGIVM LXXVI.


Natantes vrbes, tua nauigia,
Votis Vlysippo tàm varijs
Inscendi aspicis, & impleri?
Desinat, iam tibi esse miraculo,
Quòd perituræ opes
Per tanta queri possint pericula pereundi.
Prodigiosius aliquid iam mirare,
Quòd per opum omnium contemptum, & sui,
Pericula quærant, & funera perituri:
Iam, quæsituris omnes, omnia qui reliquerant,

Nomen olim fecerat Iesus Apostolis:
Et quos Iesu Socios
Instituta fecerunt Ignatij,
Hos Lusitani salutauerunt Apostolos:
An quia, ad Christi lucra vt omnes adijcerent,
Cum relictis suis omnibus,
Et ipsi se se relinquebant in pretium?
Magnanimi porrò Lusiadæ
An in eos magni nominis largi non essent,
Quos in se animæ tantæ
Videbant esse largissimos?
An verò Apostolorum vultus
Vel à pedibus agnouere,
Quibus ideò pulchris,
Quia in pacis Euangelium expeditis,
Iesu vestigia tàm & propè, & plenè calcabant?
An quia, vt Apostolos in terras è mari,
Ità in mare Socios vocabat Iesus è terris,
Vt ipsos non hominũ modò piscatores efficeret,
Sed vt ex barbaris, hoc est brutis,
Homines efficerent ipsi piscando?
Verùm cũ Lusitanis quid vltrà moror in titulo?
A quibus accepit rerum tàm larga præsidia,
Debet ijs Societas plus sanè multò, quàm nomẽ.

IN-

INSIGNE LXXVII.

VARIOS IN SOCIETATE GRADVS APTE IGNATIVS DISTINGVIT ET ORDINAT.



Varia columnæ ſegmenta ſeorſim elaborata vſui tunc erunt, & ornatui, cum ORDO DABIT FORMAM. Vt aptè Societas virtutem, Fidemque ſuffulciat, ſuos in gradus ab Ignatio diſtincta, & ordinata ab hac forma fortem vſum accipit, & decorem.

EPIGRAMMA LXXVII.

IN SOCIETATEM VARIIS GRADIBVS DISTINCTAM AB IGNATIO, ET ORDINATAM.

Cur Phlegetontæus nigro cum milite Princeps
Nil plusquam Ignatii nomen, & ora timet?
Principis Inferni cur castra vicaria terris,
Hæresis hoc odit nomen, & impietas?
An quia militiæ prudens Loyola Magister
Cuique arma in castris dat sua, cuique locum?
Formidet Stygiæ confusio noctis: Iesu
Hoc Erebo est acies ordine terribilis.

ELOGIVM LXXVII.

Macte sub Ignatio Duce, miles Iesu:
Certam ille victoriam
Tuis dedit in manibus,
Qui tàm benè tuos pedum incessus
Ad secura certamina ordinauit:
Suo timeat capiti Cæli transfuga,
Cum pedes pro Deo pugnantium
Mouere loco non potest.
Qui nisi perturbando non vincit,
Hic à seruante ordinem milite profligatur.
Et nunc sanctior aliquis,
Quàm seductus ille, seductorque Vates
Ten-

Tentoria hæc ex alto deſpiciendo ſuſpiciat:
Iuſtorum fato miſceri ſe cupiens
Exclamet hìc etiam,
Quàm pulchra ſunt tentoria tua Iſrael!
Fortitudo nempe Dei
Verè in terris eſt illa militia,
Per quam fortiora Deus inferre certamina,
Victorias referre non deſinit clariores.
Heſperij, immò ætherij Gedeonis
Time iam inferne Madian,
Has Ignatij tubas, & lampades:
Errorũ agmina doctrinæ tubis fugare quos iubet,
Horum in manibus,
Claro vitæ ſanctioris exemplo,
Ardere dedit lampades inextinctas.
Tu verò, Ieſu Sodalis,
Fidum, germanumque Imperatoris tui militem
In ordine ſemper ſtando te proba.
Stabis verò, ſi ad rerum fluenta labentium,
Modiciſſimo illarum hauſtu,
Erectus, vt Vir, non pronus, vt verna,
In ſiti vel ſumma
Tibi fortiter noueris imperare:



INSIGNE LXXVII.

ANIMARVM CAVSA MVNERIBVS OMNIBVS AB IGNATIO SOCIETAS APTATVR.



Varijs aqua ſyphunculis maioribus, minoribusque proſiliens, FORMAM SE FINGIT IN OMNEM: Vt proximorum ſaluti proſit, Ordinem ſuum Ignatius cuiuſcumq; generis omni planè aptat obſequio.

EPIGRAMMA LXXVIII.

IN SOCIETATEM AB IGNATIO ANIMARVM CAVSA MVNERIBVS OMNIBVS APTATAM.

Siue Lycæa docent, Academia, Porticus, Vmbræ;
Siue profana tenent, & sacra rostra tonant;
Aut Mysta in Templis populum expiat: aut lare cœtus
Priuato cogens, efficit arte pios.
Vrbibus, aut villis, fora per lustrata, forisque
Prœdam astris Iesu miles ab hoste refert:
Cuncta suæ iussit Loyola hæc munera prolis
Esse: suum Proli num dedit esse Parens?

ELOGIVM LXXVIII.

In vberem animarum Autumnum
Sanctiorem Pomonam Societas castè deperiens,
Quid mirum, si, omnem se cõmutãs in formam,
Agit planè Vertumnum?
Oleum effusum, Iesu nomen
Quàm benè huic aptatum est Ordini!
Qui nempe funditus se fundens in alios,
Suis in muneribus formam sic aliorum induit,
Vt liquidorum naturâ
Termino tantùm terminari gaudeat alieno.
Et adhuc charactere amoris indubio,
Cum ità ex nomine fluat, vt influat,
Nul-

Nullis infracta ictibus,
Constantiâ sic duratur, vt stet.
Antiquũ hostẽ suis omnibus è stationibus depul-
Tentat illum, & inuadit vbique. (sura,
Amantem sordes
Inducto nitore fugat ex aris.
Hominũ animos, hoc est Dei fana, profanata scele-
Frequentiâ consecrat Sacramentorum. (ribus,
Aërias in potestates
Cum potestate tonat & fulminat è suggestis.
Pios Sodalitatum cœtus
Concilijs obijcit impijs Tartarorum:
Et gladio pugnantem errorum, & fraudis,
Tanquam in campo, apertis iugulat in Lyceis:
Iam, vt omne illi asylum eripiat,
Vrbanis, paganisque, castrensibus, & naualibus
Expeditionibus palam vbique palantem petit.
An verò morborum horrore, vel compedum
In Xenodochia recipiat se tutò, vel carceres?
Sanandis, soluendisque animis,
Caritatem suam antidotum infert, & libertatem:
Omnia in hũc Ordinẽ mala machinare iam, Plu-
Tua vt scelera omnia, te perdito demoliatur. (to:
Omnia hic Ordo in ões cogitat, & molitur bona.

IN-

INSIGNE LXXIX.

IGNATIVS A' MVLTIS VISVS, ET DICTVS EST LOQVI TANQVAM POTESTATEM HABENS.



Vi,manuque Artificis percuſsum pariter, & directum IMPRIMIT QVOD EXPRIMIT in marmore ſcalprum. Non auribus tantùm loquebatur Ignatius, ſed ea, quæ vocibus ederet,tanquam poteſtatem habens cordibus infigebat,

EPI-

EPIGRAMMA LXXIX.

IN IGNATIVM EA, QVAE DICERET, CORDIBVS IMPRIMENTEM.

Omnia non Zephyri, non auræ uerba uolantes
Aufertis prædam per leuis arua Iouis.
Verberat Ignatî uox auras, uerberat aures,
Verùm hæc & cordi uerbera uerba ferunt.
Eloquitur? penetrat: dixit? persuasit: & ore,
Tàm fluit ex illo dicere, quàm facere.
Irrita uerba uolant, leuitas queis subijcit alas:
Loyolæ non sunt irrita? pondus habent

ELOGIVM LXXIX.

Cum Dei sermonem Ignatius,
Gladium loquatur ancipitem,
Ingenuâ veritate
Tam per aures recta cor petit,
Vt quibus incolumitas falsa esset exitio,
Vulnus ijs certam inferat in salutem:
Et cum, persuadendi vi, facere videatur attonitos,
Adhuc in audientibus, ad agendum,
Principium commouendi se se fit stupor.
Quātò iam melior hęc diuinę Gorgō est Palladis,
Quæ non homines, humana ne sentiant,
Obdurat in lapides;

Sed

Sed ad cælestia percipiēda obduratos ceù lapides,
Emollit in homines?
An verò simulacra Memnonis
Sua cum luce Sol verberaret Ignatij,
Voce in se se per illum excitâ,
Virtutis edebant suauissimum Deo concentum?
Tuum hunc saluta iam, Roma, Periclem,
Et mirare.
Tonitrus nimirum perorando ciet Ignatius:
Sed quorum fragor, ac vis
Christi ouibus, fœtus pietatis excutit,
Non abortus.
Læuum diceres intonuisse semper hunc Iouem,
Tàm dextera eueniebant cuncta loquenti.
Iam verò, habeat meritò vox illa sepulcrū in auri-
Quæ cunas habet in lingua: (bus,
Dicentis in corde, principio vitæ quæ nascitur,
Illa stabili melioris vitæ cum fructu
Et audientium dicta,
Et dictis obedientium perennat in cordibus:
Interim familiaribus alloquijs, & priuatis
Tanta hæc consequebatur Ignatius.
An ne, mallei sonitu nec audito,
Veræ Sapiētiæ Templa Deo condit hic Salomon,

INSIGNE LXXV.

OBSTINATVM IVDAEVM AD CHRISTIANAM FIDEM CONVERTIT TRIBVS HIS NON AMPLIVS VERBIS, MANE NOBISCVM ISAAC.



Affixa naui remora, piſcis tantulus, illam, ne moueri loco poſſit, tenet NON MOLE, SED VI. Qui obſtinatum Iudæi animum tribus non amplius verbis mutare potuit, quantam in ijs vim habebat Ignatius!

EPI-

EPIGRAMMA LXXX.

IGNATIO TRIBVS VERBIS OBSTINATVM IVDAEVM AD CHRISTIANAM FIDEM CONVERTENTI.

Perfidiæ Hæbræum antiquæ cum flectere nemo
Posset adhuc (tenebris, & cute tantus erat)
Nobiscum maneas Isac, Ignatius inquit,
Nec plura his, uerbis mansit at ille tribus.
Totus amans, totus sapiens, tria verba locutus,
Quod sequitur, totus debuit esse potens.
Tàm subitò fecit, quàm dixit? tota Tonantis
Indiderat uerbis se tribus ipsa Trias:

ELOGIVM LXXX.

Suis à natalibus surdum,
Quia suis à Maioribus perfidum,
Hæbræum Ignatius veræ fecit Fidei audientem?
Occlusas duri cordis in aures
Digitum immisit & ipse, sed Dei:
Quando verborum triadem elocutus,
Quod nec perfidus ille crederet,
Nec surdus vellet audire,
Nostræ Fidei arcanum, & altum
Verbum, mysteriumque Triadis persuasit.
Rationum nemo quærat seriem, & momenta:
Tota fuit in imperio suadela:

Ma-

Mane, Ignatius ait, nobiſcum, Iſaac:
Et mancipium aliàs perfidiæ fugitiuum,
Dedititium nunc vltrò libertum Fidei
Vnius imperij manicis mancipauit.
Manſit ergo ſic Iſaac,
Vt, qui & gēte, & nomine filiū ſe Abrahæ diceret,
Factus hærendo penè ſit lapis:
Quem tamen Phidias melior, Ignatius,
Fidei formatum cælo
In Dei filium tunc animauit,
Cum, inhalato animi ſui ſpiritu,
Viuam credenti, Dei filij dedit imaginem.
Vt magnis in hunc alij connisi eſſent ardoribus,
Gelu obſtinati cordis ſoluendo tàm duro,
Igne non minore opus erat Ignatij.
Quo præſente,
Cum anteà in Aquario hyemaret ille perfidiæ,
Caritatis illicò æſtuare potuit in Leone.
O nauum hominum, piſcatorem,
Qui tàm facilè prædam poſſet
Tàm in alto, & gelu piſcari! (cebat,
Et tàm prodigiosè Ignatius facere potuit, quæ di-
Qui tàm ſanctè, quæ poſſet dicere, faciebat;

IN-

INSIGNE LXXXI.

AETERNA CONTEMPLANS IN NVLLA RERVM VOLVBILIVM ACQVIESCIT IGNATIVS.



Accipitri prono capite in ſomnum conniuenti, verſatilis fulcri ADIMIT VERTIGO QVIETEM. Et hac ille cruciatus inſomnia, pati manum diſcit, & obſequi. Quæ æterna non ſunt omnia cum conuerſa mutentur, in ijs propterea non acquieſcit Ignatius:

Q EPI-

EPIGRAMMA LXXXI.

IN IGNATIVM NIHIL IN HAC VITA DVRVM, QVIA BREVE CENSENTEM.


Res, quandoque pati, dura est, durissima, semper:
Tota pati vita est? est quoque, tota mori.
Heù durum vitæ genus hoc, Loyola tot annos
Tu tibi producta morte superstes ages?
Hæc ille attonitus cum secum uolueret, an non,
Stare inquit, dum nos credimus, effluimus?
Per momenta omnis vita ecce liquatur in urnam:
Et cuiquam durum, quod fluit, esse potest?

ELOGIVM LXXXI.

Stare Cælum, terramque moueri
Auditor Christi verè Christiana dicat in Ethica,
Quod audacior aliquis falsò pronũciauit in Physi
Aeternùm scilicet naturâ suâ stat tellus: (ca.
Virtutibus, & gratiâ Cælum dũtaxat æternũ stat.
Proinde vt veluti se se
Constantia sustulit felicitatis in Cælum,
Itâ commutantis se se fortunæ
E Cælo vertigo defluxit in terras.
Quid hoc tamen est, quòd in terris homines ac-
Vsq; adeò defecta in senectute (quiescunt?
Infantiæ Mundus arguitur,


Qui

Qui somnum capere quietis haud possit,
Nisi infantium more
Commouentium se terrarum agitetur in cunis?
Quantò Ignatius sensit, egitque virilius!
Nullum in illo locum,
In quo hæreret Mundus inuenit?
Locum in Mundo nullum,
In quo quiesceret inuenit Ignatius.
Hinc porrò vox ipsius illa tàm frequēs,& nitida:
Heù quàm sordet tellus, dum Cœlum aspicio.
Tantum nempe Mundi corpus, atq; tàm varium
Sordesne agendo, patiendoque non gigneret?
Hæ proinde in ima defluere cum deberent,
Iacentes altè confluxerunt in terras.
Denique veteri Archimedis effato
Aut inuidiam Ignatius abstulit, aut superbiam:
Extra telluris ambitum figere si pedem posset,
Terras ōes suis ille moturū se machinis gloriaba(tur.
Solido Ignatius in Cælo virtutis
Extra telluris ambitum pedem fixit.
Mutatis,euectisque in altum hominum moribus,
Hac nimirum Metonymia terram mouit.



INSIGNE LXXXII.

INTER ARDENTISSIMAS PRECES EX IGNATII OCVLIS VIS INGENS EFFLVIT LACRYMARVM.



Inclusa intra mathematicam amphoram aqua instar fonticuli de syphunculo DVM CALET EXILIT. Calorem cum conciperet inter preces Ignatius ex oculis vberrimo latice lacrymæ protinus erumpebant.

EPI

EPIGRAMMA LXXXII.

IN IGNATIVM ARDENTISSIMAS INTER PRECIES AD ASPECTVM SIDERVM LACRYMANTEM.

Dum despectat humum Loyola, et suspicit astra,
Et simul hinc sordes aspicit, inde iubar,
Lacryma ceù uultum, pectus sic permeat ardor,
Et quantum spectans hinc calet, inde gemit.
Heù quàm sordet humus, dum Cælum specto, profatur,
Atque aufert dictis protinus ipse fidem.
Omnia nam lacrymis tergens Ignatius, igni
Vrens, quæ fuerat sordida, terra nitet.

ELOGIVM LXXXII.


In amoris diuini symposio,
Vt liquida inebrientur voluptate carissimi,
Potus, lacrymæ delicium est.
An veriùs, arcanum gaudiorum merum
Propinanti nobis Deo lacrymâ respondetur?
Et ille quidem tam hilariter se se
Nostrarum hoc mero miseriarum inuitat,
Vt factus potando sui penè iam impos,
Suam in nos omnem
Inclinari sinat, & excuti commiserationem.
Iam verò pretium tunc habere cor incipit,
Cum thesaurum promit gẽmarum in lacrymis.

Qui quanti ſit faciendus, hinc æſtima:
Lacrymarum vnâ venalis eſt Deus.
Vt iam vel in probrum Cleopatræ, vel inuidiam,
Non vnum liquata Deo hæc gemma imperium,
Sed totum æquet empyreum.
Soluēte nimirum ſe ingenuas in lacrymas corde,
Nullus cuiquam amor propinauit auguſtiùs.
Sed cordis ſanguis lacrymæ ſunt:
Vulnus in corde igitur
Quàm altum accepit Ignatius, quàm perennē,
Qui turgentibus oculis
Tàm largè, tàm iugiter lacrymatur!
Rurſus, naturæ argumentū eſt lacryma imbecillę?
Ergo quæ Ignatij poteſt exprimi è corde tàm forti
Quàm non leuem manū arguit illa prementem?
Denique nulla tàm altè ſordet Ægyptus,
Vt expiare illam
Nilus hic purior nequeat lacrymarum.
Quid? lacrymâ citiùs nil areſcit?
Sed ingenua cum fuerit,
Nihil illa felicius
Cordis agrum virtutum irrigat in fœcūditatem.
Vſque adeò
Lætas Cęlo ſegetes triſtis hic imber alit.

IN-

INSIGNE LXXXIIII

ACCEPTVM A' DEO LACRYMARVM DONVM NOVO DEI MVNERE IMPERIO TEMPERATVR IGNATII.



DA VENIAM, ET VENIAM, inſcriptum aquæ eſt, quæ, obducta claue retinetur quò minus in craterem erumpat. Paratas ſic habuit lacrymas ſemper Ignatius, vt illas poſſet pro imperio, libitoque, vel fundere, vel continere.

EPIGRAMMA LXXXIII.

IN ACCCEPTVM A DEO LACRYMARVM DONVM NOVO DEI MVNERE TEMPERATVM IGNATIO.

Parce, ah, cur tanto ex oculis, lacryma, effluis, amne,
Vt lux ex oculis, dum fluis ipsa, fluat?
Scilicet astrorum munus sum, dicis: & astra
Dum lacrymas donant, lumina surripiunt?
Sidera sed præter nil Loyola aspicit; an non
Surripiant lucem, quæ rapuere oculos?
Ecce sed, haud rapiunt; nam paret nata Parenti:
Hoc rapiunt oculi sidera prodigio.

ELOGIVM LXXXIII.

Summa sine Fortitudine
Eniti nemo possit
Summæ Temperantiam voluptatis;
Virtutis amore concepto,
Fœtus hos animus non nisi geminos dabit.
Porrò accensa penitus Caritate flagranti
Lacryma refrigerante quid dulcius?
Et cum corde tantum amator incaleas,
Tantam, Ignati, imperare potes oculis siccitatem?
Eat nunc aliquis, si potest, inficias,
Herculeâ tibi adoleuisse in pectore Fortitudinem,
Quando coæua illi, & par

Affe-

Affectuũ in te omniũ Tẽperãtia tãta grandeſcit!
Quid? parientium in interitum oculorum
Cum proles tibi naſceretur nimia lacrymarum,
Ne deſpectis terrarum ſordibus
Ornatum Cæli ſpectare non poſſes,
Illorum amore orbium
Oculorum horruiſti perpeti orbitatem:
Iam verò, vt rerũ naturã contẽplaretur attentiùs,
Æris fulgore candentis
Deriſor omnium ſe ſe Democritus obcœcarit.
Tu, ſupra naturã, videre qui cupias per naturam,
Totus ignis, ne tibi lucem extinguant,
Latices vetas, & obſtruis lacrymarum.
Interim Cęli donũ tuas eſſe lacrymas ſic probaſti.
Naturam ſcilicet beneficiorum ſequutæ,
Quæ non conferuntur inuitis,
Tunc ſe dumtaxat tibi ſundebant,
Cum illas in oculos inuitares.
Alij denique lacrymis Deum placent:
Quantò pulchrius eſt illud, & grandius?
Ignatius ſuis annuente votis
Lacrymas placat Deo:

IN-

INSIGNE LXXXIV:

DVM SACRIS OPERATVR SVPRA IGNATII CAPVT INGENS FLAMMA CONSPICITVR.



Solis lux ideò in altum reuerberatur à ſpeculo; quia INCIDIT IN PVRVM. Flamma viſa eſt ſupra caput Ignatij? diuinum fulgorem tàm clarè, ſanctimonia vitæ repercutit.

EPI-

EPIGRAMMA LXXXIV.

IN FLAMMAM, QVAE VISA EST SVPRA CAPVT IGNATII SACRIS OPERANTIS.

Victima ſacrandus Cælo an faciente Sacerdos
Ille eſt, cui tanto fulgurat igne caput?
An, cor ſecreta dum flagrat amoris in ara,
Expirat magni pars leuis illa rogi?
An titulum inſcribit, luditque in nomine Cælum,
Et ſacrum Ignatii nominis Igne notat?
Quo res acta die fuerit, non ſcribitur: ignis
Sed Pentecoſten, ni fuit, iſte facit:

ELOGIVM LXXXIV.

Qui & pro Deo toti,
Et totum Deum arderent,
Ignis litantibus vel prodigioſus,
Nec Ignatio deeſſe potuit, nec Eliæ.
Mutauit tamen oſtenta Cælum:
Suo quondam igne ſacra,
Nunc verò corripit Sacerdotem.
Oſtentum iterum in oſtento:
Illicium portentoſo Igni fit humor.
Ità in victimã ab Elia olim aquá perfuſam
In Ignatium nũc ſparſum lacrymis operantem
Ingens pariter, & ſubita

E Cæ-

E Cælo flamma delabitur:
An Ignatium Deus lacrymis madētem intuitus,
Odoratus in Sacerdote victimam,
Innoxiâ ſupra verticem demiſsâ flammâ,
Arcanis incendijs
Cor ipſum paſcendo immolat immolantis?
An potius Caritatis initiandus Antiſtes,
Operari qui debeat infulatus,
Coronariam accipit cœleſti ex igne Tiaram?
An ſerenante Gratiæ Cælo
Cum grauida cordis è nube
Pluuia per Ignatij oculos defluat lacrymarum,
Prodigijs cordatus æther, & prodigus
Sua continere non potuit meteora?
Demiſit proinde fulmen, at innocens,
Ignis enim in igne quid mutet?
Mutuis proinde oſculis
Flammæ ſe libauerunt innoxiæ.
Ominoſum iam
Princeps Mundi Cometem hunc timeat:
Ipſius in tædas funeris hoc portentum accēditur.
Regnatore Deo per Ignatiū in terras ōes inuecto,
Ipſe iam, poteſtatis antiquæ depulſa tyrannide,
Eijcietur foras.

IN-

INSIGNE LXXXV.

REDDITAS EX HISPANIA INTER ORANDVM EPISTOLAS CREMAT IGNATIVS.



Flagrat in aris victima? Ne polluantur sacra, PROCVL ESTE PROFANI. Agentem cum Deo Ignatium cum interpellarent humana, ne ardorem precum importunè restinguerent, illas ardere iussit in igne:

EPI-

EPIGRAMMA LXXXV.

IN IGNATIVM REDDITAS SIBI INTER ORANDVM EX HISPANIA LITTERAS CREMANTEM.

Scilicet accedis, cum te charta esse profanam
Noris, et ardentis nil tibi ab igne times?
Tentas orantem? vrentem experiere, profano
Tàm tu digna, sacro quàm calet ille rogo
Hæc censens, et succensens Loyola, *papyri*
Succensæ vindex mulctat in igne nefas.
Oras Ignati? absisto, sum nempe profanus:
Immo accedo; tuo quid facis igne? sacras.

ELOGIVM LXXXV.

Quàm in se Ignatius orando non friget,
Qui totus est ardor in suos!
Et, proxima quæ fuerint,
Dum flagrat, ignis incendit.
Affinibus verò quid cuiquã magis est proximũ?
Horum proinde litteras
Inter orandum redditas importunè,
Proximi vsus opportunitate ignis,
Iussit Ignatius in illo statim ardere.
Vide nunc, quàm vigilem
Sopita nunquam Vestalis hæc melior
Suum ignem Pietas seruet Ignatij.

Fer-

Feruorem intimum in corde ne minuat:
Halitum terrarum omnem
Arcet peregrinum, & gelidum.
Sed cum mortis, frigus, origo vitæ ſit, calor,
Quàm ſimul & mors, & vita non coëunt,
Tàm reciprocari nequit ſpiritus Terræ ſimul, &
An doctus pro malis bona rependere, (Cœli.
Diurnæ obicem luci
Suo facere interiectu tentantibus,
Flammarum luce litteras donauit Ignatius?
Nimirum quem à diuinis
Voluiſſet deflectere ad humana,
Per flammam ſeſe in ſublime ferentem
Incenſam paginam è terris euexit in Cælum.
Quanto interim Dei amore dignum exiſtimem
Odium tantum, & ſuorum, & ſui!
Tabellario igne
Bonum hunc nũcium Ignatius miſit ad Superos,
Malle ſe omnia ſemper ignorare de ſuis,
Quàm à Deo ſe momento vel vno neſciri.
Vos interim, quamquam in igne arsiſtis,
In igne tamen non perijſtis, epiſtolæ.
Ad perpetuam rei memoriam,
Cœli vos in tabularium
Ignatius retulit incendendo.

INSIGNE LXXXVI.

SINGVLIS HORIS SVAM CONSCIENTIAM SEDVLO EXAMINE RECOGNOSCIT IGNATIVS.



Tonſis viridibus opere topiario auis ſimulacrum à Viridario affabrè concinnatur: tum frequenti caſtigatur ſorfice, atq; ità SERVAT SOLERTIA FORMAM. Ne deformitatem vllam ſuccreſcere in animo pateretur Ignatius, frequenti examine ſingulis horis in ſe ipſum aduertit.

EPI-

EPIGRAMMA LXXXVI.

IN IGNATIVM SVAM CONSCIENTIAM SINGVLIS HORIS SEDVLO EXAMINE RECOGNOSCENTEM,

Quis tibi, Loyola, instantem Minoa seueri
Admouet hac tanta mole supercilij?
Hora monet, mora nulla, in ius reus ipse citaris,
Horaque, cum possis vix reus esse, citat.
Tu reus, et Minos: insons, crudelis et idem es.
Nemo tibi veniam non daret, ipse negas.
Est tamen hæc pietas: quæ? ne sententia damnet
Semper, sæpe tui te facis ipse reum.

ELOGIVM LXXXVI.

Spectantis oculo Domini
Pinguescit solum?
Quàm vberem sui agrũ animi habebit Ignatius,
In quem horis singulis
Herus ipse, colonusque tàm sedulus intuetur!
Bona cum fruge zizania ne succrescerent,
Iis superserendis
Desidem somnum, opportunitatem scilicet
Vigil Homini ademit Ignatius inimico.
Quærite iam, an tempus ille fallat,
Qui nec tempus sibi permittit errandi.
An verò tempora multa non explet Ignatius,

Qui fugientes horas
Vel minimis vindicans ab erroribus,
Tempora consummat veriùs, quàm consumit?
Bonum in Ignatio virtutis horologium,
Cum carere dentibus videretur,
Quando animum conscientia nil mordebat,
Adhuc horarum ictum sic iustè semper exclusit,
Vt suis horis
Includi nihil pateretur iniustum.
Hic porrò dies vnquam ne vergat in noctem,
Qui tantum semper habet lucis,
Vt Iustitiæ Solem sequens
Ne minimi quidem ambulet erroris in tenebris,
Quem simul, & in quem protinus non aduertat
Ignatius?
Tempore alijs fugiente,
Contractæ culparum sordes
Diù plerumque in ipsis cunctantur, et hærent.
Vt sordes vel à se fugiant, vel fuget à se se,
Fugientia Ignatius tempora
Cunctanti examine reprehendit.
Quàm porrò ille quieta dignus æternitate est,
Qui tàm instans, & sedulus sibi viuit in horas!

INSIGNE LXXXVII.

VNIVS ANIMAE SALVS MVLTIS DIV LABORIBVS AB IGNATIO QVAERITVR, ET PARATVR.



Graue ſeù columnæ, ſeù epiſtylij pōdus, tractorij organi NON VNO ATTOLLITVR ORBE, ſed illud neceſſe eſt diù, ſæpiùsque circumagi: Proximorum ſalutem tàm graue negotium laboribus omnibus, & patientia curare, maximum operę pretium exiſtimauit Ignatius.

EPIGRAMMA LXXXVII.

IN IGNATIVM VNIVS IN SALVTEM ANIMAE DIV. MVLTVMQVE LABORANTEM.

Dum fugit, & ſequeris prædam Loyola: nec illa
Ludere deſiſtit vincla, nec ipſe ſequi.
Tendere te caſſes incaſſum dixerit, artem
Venandi quiſquis neſciat eſſe tuam.
Ipſa fatigatur fugiendi præda labore,
Dumque fugit caſſes, rete fit ipſe labor.
Rideat ergo tuos quis iam tot in orbibus orbes,
Vnus ſi prædam ex orbibus orbis habet?
Circulus eſto Sophis vitium: ſed crimina ſoluens
Circulus, Ignati, non vitioſus hic eſt.

ELOGIVM LXXXVII.

Cæli magnetem Deus
Ignatij cordi plus ſatis affricuit.
Niſi ſalutis cynoſuram inuenerit,
Ignatius non quieſcit.
Sui propterea penè impos
Tandiù ſe circumagit,
Quandiù errantes in circuitu impios
Ipſo figat in centro virtutis.
Vſque adeò, vt impios doceant recta gradi,
Ambulare in circuitu poſſunt & pij.
Per-

Perditis cum fœminis perdere visus operam,
Quāquam illæ constantiā amitterent benè agēdi,
Non dimisit ipse, iuuandi.
Quanti Deum faceret, palam fecit:
Ne mortali quisquā crimine vel semel auderet in
Laboribus vitæ omnibus (Deum,
Mortē hāc vnam animi benè censuit propulsari;
Interim cum circumiens totus flagret,
Ixionem Ignatium dicerem in hac rota:
Nisi quòd illum damnatos inter reorum manes
Tormenta sua miserrimum,
Hunc inter asserendas saluti animas
Sua facit sollicitudo beatum.
Quid? relabentium muliercularum
Grauis idem lapis, & lubricus
Laborantem sæpiùs eludit hunc Sysiphum?
Parricidæ aliorum, & sui
Sacra suadelæ flumina excipiunt cribro Danaides?
Suum Ignatius habet vel apud Inferos Cælum,
Cuius nimirum infelix nunquam est labor,
Qui satagit pro virtute:
Nunquam inanis,
Qui plenus est Deo.

INSIGNE LXXXVIII.

SALVTIS SVAE PRAESENTIS SECVRITATEM LABORIOSO ANIMARVM LVCRO POSTPONIT IGNATIVS.



Tutum eſt frumentum in ſacculo: campus tamen ſi ſuppetat, meſſurus cum fœnore, frumento in ſementem effuſo, SPEM CREDE LABORI. Felicitatẽ Ignatio in pręsẽti Deus promittat indubiam: dum proximorum poſſit fœnerari ſalutem, illam ſibi vel ancipitem certis pro laboribus malit vltrò differri.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

IN IGNATIVM SALVTIS SVAE PRAESENTIS SECVRITATEM LABORIOSO ANIMARVM LVCRO POSTHABENTEM.

Vel Cælo, Ignati, iam nunc potiere: vel vltra
Terrigenis dubio eſt ſine paranda ſalus:
Dat Deus hanc veniam, ſpondetq; vtrumne præoptas!
Elige, ſignatum ex ætere chyrographum eſt.
Haud, inquis, moueor, liceat dum quærere terris,
Quod Deus in terris quæſÿt, haud moueor:
Non Cælum maiora paret mihi gaudia? Cælum,
Quo Deus in terris gaudeat, ipſe paro.

ELOGIVM LXXXVIII.

Iam tuo, Ignati, Magiſtro,
Amori nempe plus ſatis inuideo:
Cui cum te totum exſolueris in pretium,
Adhuc tanta mercede
Nihil te ſapere docuit.
Factâ tibi vel præſentis in Cælo poteſtate gloriæ,
Vel in terris, ânimarum causâ, laborum,
Eligendum, inquis, ſi detur alterutrum,
Animarum causâ pati dum liceat,
Animi causâ frui Deo non libet.
Et ſapere hoc eſt, Ignati?
Dignũ te probas tamen Magiſtro tuo diſcipulũ;

Docuit nimirum ille te plus satis amare:
Amare verò, & sapere,
Si vix vni Deo conceditur,
Quis hoc requirat in homine?
Vt proinde tàm amet parum, qui nimium sapit,
Quàm minimum sapiat, qui multum amat.
Quid? alta olim amoris in ecstasi
Quicquamne Patris Sapientia sapere visa est,
Quæ Paternæ gloriæ cum sit splendor,
Sordes complexa est hominum, quos amabat?
An verò aliud ab humano est
Amare diuinum, & sapere,
Quando contra quàm sapiunt homines,
Sapientia Dei est, causâ animarum pati?
Tibi verò, si omninò non desipit,
Nihil non debeat Mundus omnis Ignati.
Qnantum enim ipse pro causa vreris aliena,
Tantumdem pauci pro sua ipsa vix calent.
Stultitia sit hæc apud humana sapientes:
Nemo apud Deum sapit,
Nisi qui sic stultus sapit:
Rursum: longã, obstinataimq; Mundi phrenesim
Feliciùs nemo curet, ac citiùs,
Quàm qui non sapiat, quę sunt Mundi!

IN-

INSIGNE LXXXIX.

INSECVNDIS, ADVERSISQVE REBVS EAMDEM VVLTVS, ANIMIQVE CONSTANTIAM SERVAT SEMPER IGNATIVS.



Medio inter aquæ craterem, & malleum adamanti adiecta epigraphe eſt, NEC MOLLIOR, NEC FRANGOR. Quem non ſecunda mollirent, nec aduerſa frangerent, an non Ignatius idem ſemper, ſibique ſimilis animum verè habuit, adamantem?

EPI-

EPIGRAMMA LXXXIX.

IN IGNATIVM SECVNDIS, ADVERSISQVE IN REBVS EAMDEM VVLTVS ANIMIQVE CONSTANTIAM RETINENTEM.

Seù Zephyros pellant Cauri, nubesue serenum,
Siue, ubi ridebant æquora, turbo fremat,
Stat Cautes immota tamen, stat Olympus eodem
Vertice, & ut certent tristia, læta supra est.
Stat liber Loyola inter magis arcta, catenas
Sortem, vinciri dum nequit, ipse trahit.
Quid Fortuna moues? vnam alto in pectore mentem
Quisquis habet, vultus non habet ille duos.

ELOGIVM LXXXIX.

Miser humanis esse ille non potest,
Beatus qui esse nolit humanis.
Cui gaudium nascitur introrsum in corde,
Illius in vultu indigena serenitas est & domestica;
Non incerta viatrix, & aduena.
Porrò vno se contentum esse, Dei est:
Accedit ad Deum proximè,
Cui & Deus, & ipse sibi sit satis.
Iacenti sub Lunâ Mundo cõmutabiles, variosq;
Ominetur dies Astrologus:
Qui supra Lunam se se vindicauerit altiùs,
Diebus singulis constanti adscribat à Sole,

Serenat.
Quid? stultus vt Luna mutatur?
Sapit igitur, qui cum Sole semper est idem.
Tot inter variantia constanti semper vultu,
Nunquam Ignatius visus est sibi dissimilis.
Referre quis hunc in album differat Sapientum?
Mouere in illo
Nil potuistis aëriæ Potestates:
Solido nempe virtutis in Cælo fixus
Inane iam excesserat ille Fortunæ.
Contrariarum rerum
Cum animo totum aliquãdo nomenclatorẽ euol-
Quo commoueri posset, aut tristari, (ueret,
Ne vnum quidem in illo nomen inuenit.
Vsque adeò fortis non erat ille discipulus,
Qui omnia discendo legerat in Virtute.
Mea, inquit, ęternum Societas si soluatur,
Pars horæ vix quarta
Animum mihi, gaudiumque recolliget.
Neque cordi vnquam absit, ac fronti serenitas,
Quandiù mihi soli, Soli adsim & Deo.
Agere qui sic potuit fortiter,
Fortiter quid non posset hic pati?

INSIGNE XC.

AFFECTIONES ANIMI OMNES RATIONIS IMPERIO MAXIME OBSEQVENTES HABET IGNATIVS.



Horologij throcleam circumducto funiculo rotis ità dispositis continemus, vt eius attemperata vi ACCIPIANT VIOLENTA MODVM. Impulsus à natura Ignatius acceperat vehementes: ità illos virtutis exercitatione repressit, vt habitudine postmodum, vel ex ipso sanguine languidâ videretur.

EPI-

EPIGRAMMA XC.

IN IGNATIVM AFFECTIONES ANIMI OMNES RATIONIS IMPERIO SVBIICIENTEM.


Qualis adusta Leo Lybie quem misit, ouantis
Carpentum docili nobile fronte trahit;
Ille sui patitur vocemque, manumq; Magistri,
In tanta & feritas uix super vlla fera est.
Pectoris arcanum talis Loyola leonem
Imperij domitum mandere fræna iubet.
Ingenio, calidoque ferox Leo sanguine: uultu,
Cordeque tàm facili mox, uelut agna, fuit.
Quòd fera monstra parit, monstrosa sit Africa: mites,
Plus facit ille, suas qui iubet esse feras.

ELOGIVM XC.

Quod inanimis est repugnans,
Iuri suo, ditioniq; cedere, homini non sit ægrum?
Ciet illicò natura tumultus,
Cum aliquid fuerit in loco non suo.
Et, solida licet,
Suis tamen labat tellus mota cardinibus,
Dum subterraneis inclusus carceribus
Inanes aër eluctetur in campos.
Pacẽ miratur aliquis in Ignatij corde tàm altam?
Sed sua in animi Republica,
Quod suum est, cuique iustè cum reddat,
Materiem omnem abstulit simultatum.

ve-


Verùm & ſuum habet
Pax in Ignatio tàm alta miraculum.
Quando affectionum plebem,
Turbas ſemper alieni cupiditate cientem,
Imperata pace ſuo coëgit eſſe contentam.
Naturâ olim acer, ac vehemens,
(Vſu ne, an portento virtutis?)
Habitudine pluſquam facili, & cunctante,
Vel ex ipſo ſanguine potuit apparere.
Tàm altè inſita illi viuendi ratio virtus erat,
Quæ in ipſum vitæ principium,
Penitus ſe ſe penetrarat in ſanguinem.
Porrò quàm Regius ille ſanguis eſt,
Qui ſeruire ſic vlli non patitur,
Vt & ſibi valeat imperare?
Iam verò nihil non pacatum in nobis eſt,
Cum ipſi nos
Noſtris in nos tumultibus non rixamur:
Paradoxum, lector, aut ænigma iam ſolue.
Quid illud eſt, quo nihil nobis eſt magis in mani-
In poteſtate nil minus? (bus,



IN-

INSIGNE XCI.

QVOVIS TEMPORE AD RES QVANTVMLIBET ARDVAS, DIVINI OBSEQVII CAVSA, PARATISSIMVM ANIMVM HABET IGNATIVS.



Tracta ex imo puteo altum aqua emicat in craterem: inclusus quippe syphoni SPIRITVS INTVS AGIT. In ardua enitendum Ignatio erat? Spiritum ipse conceperat ad illa semper vires alacres impellentem.

EPI-

EPIGRAMMA XCI.

IN IGNATIVM AD ARDVA TOTIS VIRIBVS CONNITENTEM.

Classica fulmineum fremuere sonantia Martem:
Miles adest, ferrum fulget, arena calet.
Lixa times? ignaue fugis? sed uiuida Virtus
Per medios hostis non timet ire globos.
Bellat adhuc Loyola, truci stant fronte laborum
Contra acies; hostem num fugit ille? petit.
Magnus at est, paruum Loyola sed æstimat: Hostem
Non magnum, se se qui benè uicit, habet.

ELOGIVM XCI.

Ne laboret inualetudine
Valetudinem suam diù
Nemo abstineat à labore.
Benè scilicet valenti, quàm non Medico,
Tàm exercitatione semper est opus.
Verùm imbecilles, aut fortes
Exercitatio non decet vna, eademq., par, impares.
Virium otio robur ibi languescit,
Vbi fracta pondere
Soluitur imbecillitas in sudorem:
Vnus ne vnum Macedonem probat equus?
Vt frœna ab illo pati

Mun.

Mundos omnes deceat, vel irrepertos,
Qui ferocissimæ vnius
Artem ac vim belluæ frœnandæ repererit?
Cape omen, Ignati:
Suis cum affectionibus animum,
Equum nemini non calcitrosum, & restitantem
Cōēgisti tui pati frœnum imperij:
Quò minus moderanti pareat,
Nulla tibi iam tellus, nullum mare sit contumax.
Et, tibi nunc, vt illi quondam Macedoni,
(Quod naturâ, mundoque
Cum terra, marique deficientibus,
Terror fuit cœteris) esto votum:
Generosi aurâ spiritus inuitante, procedere.
Ità planè,
Vt tuum intelligas esse, quod arduum:
Viresque, tunc probes Herculeas, cum exerces.
Quid? Herculem fecere Tartara Cælo dignum?
Deuoratâ cum ærumnis vel morte,
Diuorum gloriâ dignum immortalitati te proba.
Eligant in Reges populorum alij,
Qui ceteros homines ab humero præstēt, & sursū:
Ille Rex est sui maior, & melior,
Qui, inter humana dum graditur,
Toto vertice supra est.

INSIGNE XCII

RELIGIOSAM SOCIORVM VITAM NVDAE PAVPERTATI, TANQVAM MATRI FILIAM HAERERE IVBET IGNATIVS.



Vuæ botrus ſua pendens è vite, Solis excipiens radios IN NVDA MELIOR matureſcit: Religioſę vitę meliorem fructum vt Socij capiant, illam Ignatius nudę paupertati iubet hęrere.

EPI-

EPIGRAMMA XCII.

IN PAVPERTATEM SOCIIS AB IGNATIO COMMENDATAM.

Pauper in aggesto, contempto diues in auro est,
Qui malè cuncta rapit, qui benè nulla cupit.
Diues opum gestas vterum? Virtutis abortum
Mox dabis: has genitrix non parit vna duas.
Pauperiem Loyola, suos cui debeat ortus
Virtus, dignari Matris amore iubet.
Nuda sed hac Virgo Virtus Matre ibit: Honestè
Et tantùm nuda hæc viuere Virgo potest.

ELOGIVM XCII.

Orbari ne vnquam possit Genitrice Societas,
Matrem illi decreuit Ignatius, Paupertatem.
Nolenti scilicet Opulentiam auferre sors potest:
Inuito vis nulla vnquam eripuit Paupertatem.
Et Opulentia cũ priuignos possit habere, nõ filios,
Odium exercet nouercale semper in curis:
Germanam hæc vbi prolem enititur,
Amorem genitricis exhibet in securitate:
Quãquam anceps & ipsa est in vtrũq; Paupertas,
Tàm enim fit nouerca, cum fugitur,
Quàm se probat, præbetq; cũ quæritur, genitricẽ.
Porrò quàm pretiosus thesaurus est Paupertatis,

Qui, nisi venditis omnibus, emi non potest?
Rursum, quantum hoc est calcar ad Cælum,
Quod loris omnium abruptis affectuum,
Dum leuiter incommodando nos pungit,
Commodè nos, acriterque incitat ad virtutem!
Iam verò plena cum potestate
Omnia nemo sic possidet,
Quàm qui, nihil cum habeat, nihil cupit:
An verò inanis potestas illa non est,
Quæ cum maximè nolit,
Potest tamen amittere quicquid habet?
Amoris interim sine glutine,
Nec Paupertas vlli, nec Diuitiæ
Sic affricantur, vt hæreant.
Proinde quàm olet Cælo malè,
Qui diuitiarum Dominum Plutonem olet,
Tàm ille grauis Erebo est,
Cui, thesaurus Christi, Paupertas est leuis:
Denique nec noctuas Athenas,
Nec è terris quisquam ferat opes in Cælum.
Suo diues fundo Vrbs illa Regum est:
Donari diuitum ciuitate illa qui velit,
Peregrinæ soluat mercis pretium, Paupertatem.
Et enim, nisi quia ipsorum est Cæli Regnum,
Cur aliàs pauperes sunt beati?

IN-

INSIGNE XCIII.

CASTITATIS DONVM MODESTIA OCVLORVM SEVERISSIMA TVETVR IGNATIVS.



TVTVM, QVIA TECTVM lumen clauditur in laternâ. Ne lucem in ſe puriſſimam Caſtitatis extingueret, oculorum modeſtiâ illam tegere, tuerique conſueuit Ignatius.

EPIGRAMMA XCIII.

IN IGNATIVM CASTITATIS DONVM OCVLORVM MODESTIA SEVERIORE TVENTEM.

Scilicet ex astris ne cor, Loyola, resigas,
Prona tuæ frontis lumina figis humi.
Alloqueris castam, tamen illa est fœmina, dicis:
Nullaque tuta Viro est fœmina, fæmina si est.
Visa semel, semper quandoque excæcat: & illam
Qui nimium, nemo se satis inde videt.
Quæ spectati igitur spectanda modestia casti est?
Ne benè non videat, non habet ille oculos.

ELOGIVM XCIII.

Quàm periculosum est cuicumque casto, videre,
Cui nec videri sit tutum!
Sordes nimirum vtrinque munditia,
Aut spectata patitur,
Aut spectans facit.
Viuere diù cum integritate quæ velit,
Per quas mors intrat
Oculorum claudat mens casta fenestras!
Suo docta hieroglyphico,
Demissis cum capite oculis
Lilium imitetur celsa Virginitas:
Quos cum in vsum verterit lacrymarum,


Hoc

Hoc puriùs ſemine illibatè fœcunda,
Cogitationū ſobolem poterit eniti mundiſſimā:
Suos Ignatius oculos
Ne piarum quidem attollit in ora mulierum.
An quia prauo illarum à genere
In tantum imminet Caſtitati diſcrimen,
Vt vel à ſanctimonia ſingularium
Vix vlla poſſit ſubire ſecuritas?
Dalila, Bethſabæa,
Cladium nomina ſunt:
Et ne calonum aggeſtus reputes, aut lixarum,
Sampſones ſtrati, Dauides.
Alteri fœmina impotens fortitudinem,
Alteri excuſſit licentior ſanctitatem.
Quàm verò nullum habeant ſalem mulieres,
Sapientiſſimus docuit mortalium Salomon,
Illarum nempe amoribus infatuatus.
Porrò tutum in corde Caſtitatis eſt regnum,
Si in ipſa finium fronte
Arx & præcipua oculorum, & prima,
Occluſo per modeſtiam aditu,
Viam hoſtibus interuertat.
Diſce lector:
Cogi nihil poteſt, qui cedit nihil.

INSIGNE XCIV.

ANIMVM AB HVMANIS AD DIVINA EVEHERE FACILLIME CONSVEVIT IGNATIVS.

Vt verſa in Cælum balliſta intentam illuc ſagittam immittat, EST TETIGISSE SATIS. Facillimè ad diuina animus erigebatur Ignatij, ad quæ votis omnibus ſemper erat intentus.



EPIGRAMMA XCIV.

IGNATIO ANIMVM AB HVMANIS AD DIVINA FACILLIME ATTOLLENTI.

Tàm faciles, Loyola, tibi quis ſufficit alas,
Tàm celer è terris vt ſuper aſtra uoles?
Quò libet impellant animum mortalia, at illa
Impulſu quouis undique in aſtra redit.
Vota tui cordis ſic omnia mittis ab arcu,
Vt ſemper, quò tu miſeris, illa uolent.
Cur? breue qui terræ punctum petit, errat: in orbes
Tu Cæli ingentes dirigis, inde feris.

ELOGIVM XCIV.

Naturam ſeruat intimam fidium,
Quicumque fidelis ex intimo
Domino ſeruus integram ſeruat fidem.
Vnus manu neruus in chely percutitur,
Et, illi vnisonè qui conſonet,
Vltrò alter excitatur ad ſonitum.
Tantus Muſices amor eſt, vel inanimis.
Dei nomen vix aures pulſat Ignatij,
Neruusque cordis conſonus modulatur Deum.
Et hanc verus Muſicam docet Amor.
Quàm verò ſuis res humanæ tumultibus
Nihil eius obſtrepebant ad aures,

Qui-

Quas inter, Dei tenue poterat audire vel ſibilum!
Incircumciſæ licet humanorum curæ
Subiecta membra vincirent,
Immuni ſemper capite
Liber aſſurgebat in Deum.
Vſque adeò Sampſon hic fortior, quia potens ſui,
Amore nullo amens, nulli affectionis Dalilæ
Mentis robur Nazarææ credebat.
Hìc verò, cęteros ne potius hominum,
An vnum mirer Ignatium?
Quòd in tantum illi naturæ vim inferant;
Hic ſequatur?
Indecora ſibi vincula ſatis eſt,
Aut non induat animus, aut exſoluat:
Cum celſum, ac ſublime illi ſit centrum,
Alieno ad Cælum non eget impulſu:
Toto ſtatim pondere ſurſum fertur.
Sed, vt miremur Ignatium,
Hoc homines cœteri fecerunt oſtentum:
Quorum nempe impotentiâ fit,
Vt miraculo iam ſit omnibus,
Naturæ eſſe omnibus quod deberet:
Quantam verò Gratia in illo vim habuit, (la!
Cuius vires tãta nequijt naturæ frãgere corrupte-
IN-

INSIGNE XCV.

PROPHETIAE SPIRITV FVTVRA, ET ANIMORVM ARCANA VIDET IGNATIVS.



Pinea nux, quamquam viridis, prodentibus ſe- nucleis, PATET AD FLAMMAM. Profundè licet animorum, & futurorum arcana lateant, illa tamen ad ignem ſanctitatis Ignatij, ſacro vaticinij ſpiritu pandebantur.

EPI-

EPIGRAMMA XCV.

IN IGNATIVM SACRO VATICINII SPIRITV ANIMORVM ARCANA, ET RES FVTVRAS VATICINANTEM.

Pectoris humani caueis arcana profundis,
Venturi aut æui nocte sepulta iacent?
Peruidet illa tamen Loyola, & præuidet; inde
Diuinum Vates sæpè quid ore sonat.
Obtutu Cæli figi, Cælique tueri
Per rimas solitus dicitur ille Deum.
Non Cælo fixus fuit ille? remota, profunda,
Hæc tantùm, vt possis cernere, vltra iuuant.

ELOGIVM XCV.

Arcana futurorum, & cordium
Ænigmata Dei sunt.
Nullus hæc soluere potest Oedipus;
Nisi qui humanorum contēptu se prius excœcat:
Statim verò incipiunt apparere, quæ latent,
Vbi incipiunt despici, quæ apparent.
Et ad præsentium cum hebetatur aspectum,
Tunc mens ad obtutum acuitur futurorum.
Hæc porro, si minus Naturæ,
Gratiæ certè antiperistasis
Christiano in Lyceo discitur, & probatur:
Voluntariâ spectabilium rerum
Extimè ambiente oculos cœcitate,
Intimam in mentem

To-

Tota se recipit acies oculorum?
An diuinum speculans mente Verbum,
Arcana ab eo verba sic audiebat Ignatius,
Vt quæ nec viderent oculi, nec aures audirent,
Latentia, futura
Intelligere tamen ipsi liceret, & loqui?
Quanti Præceptoris, quantus Auditor!
De ijs etiam, quę non sunt
Cum mira detur ab hoc Magistro scientia,
Non sine miraculo,
Ab hoc etiam Auditore percipitur.
An, quæ amicorum tessera est,
Secreta etiam cordis habere communia,
Necessitudinem cum Ignatio Deus vt probet,
Afflatu vaticinij, quę vnus ipse sciat,
Sua nimirum arcana cum illo communicat?
Sed habet tellus, habet & Cælum,
Natura nimirum, & Gratia Lynceos suos.
Locorum, montiumue
Longinquitas interiecta, vel moles,
Illorum nec fatigat aciem, nec retundit.
Ignatio ad scrutandum
Neque cor hominum prauum, & inscrutabile,
Neque latentia interiectu temporum obstitere.
Latere quid illum possit, cui patet Deus?

INSIGNE XCVI.

S. PHILIPPVS NERIVS, ET ALII PROBITATE ILLVSTRES IGNATII VVLTVM RADIANTEM ASPICIVNT.



Lunę diſcus cum altera obſcurus parte à rebus Lunę ſubiectis aſpicitur; aſtra tũc ſuperioribus ex orbibus partẽ alteram CLARA VIDENT CLARAM. Fulgentes ſanctitate viri, Chriſtiani Cæli ſidera, vultum aſpexere Ignatij radiantem.

EPI-

EPIGRAMMA XCVI.

IN IGNATII VVLTVM, QVEM S. PHILIPPVS NERIVS, ET ALII RADIANTEM VIDERE.

Quantus òbit vultum Loyolæ fulgor! in illo
Loyolam quantum lumine Numen obit!
Candidus hæc olim teſtatus Nerius ille eſt,
Cuius erat ſimili candor in ore, Deus.
Magnum eſt, irradias viſo quòd lumine vultum?
Plus, Pater, arcano eſt corda quòd igne cremas.
Nerius aſpexit lucem: non abnuo: & ignem
Credam; ſub ſenſus ſed cadat ille meos.

ELOGIVM XCVI.

Tàm benè cum agerer,
An odiſſe lucem poſſet Ignatius?
Chriſtiana tamen humilitas
Cum illi tenebras feciſſet amabiles,
Nihil inuiſum magis erat Ignatio, quàm videri.
Sordium proinde grauis ſarcinâ
Cum viuens non ſemel optaſſet incedere,
Adhuc extinctum ſe tumulari iuſſit in ſordibus.
Sed inoccidui Solis
Veſtigia ſequutus Chriſti tàm propè,
In tenebris ambulare non potuit,
Vultu propterea viſus eſt radiante non ſemel.

Fa-

Factusque ità ſuis eſt lucerna pedibus,
Vt gradi per errores illi non poſſent,
Qui capitis tanto cum lumine, & à lumine
Ducerentur in ſemita veritatis:
Iam verò cum Ignatij ſanctitas
Incedere vellet incognita,
Vt illã palã Deus oſtendens, omnibus publicaret,
Perſonam iniecit ori, ſed lucis.
Ingenuum proinde vultum
Obſcurare regendo tunc illa non potuit,
Cum tàm ſplendidè apparuit perſonata.
Tàm bono Ignatiũ Deus collocauit in lumine,
Qui ſe non in alia voluit collocari luce,
Quàm Dei.
Sanctorum admittendus in partem,
Viuens adhuc lucis probatus eſt filius:
Cuius etiam corpus an non totum lucidum eſſet,
Quando non oculus tantùm, ſed caput totum
Tanta ſe in luce ſimplex oſtendit?
An qui Ignatio diadema glorię deſtinaſſet in Cę-
Formam illius, & modulum (lo,
Viuenti adhuc in terris
In hoc Deus Cæli lumine adumbrauit?

INSIGNE XCVII.

MORTIS MEDITATIONE MIRA VOLVPTATE PER-FVNDI CONSVEVIT IGNATIVS.



Thymo insidenti apiculæ, ad mellis confectu-ram libatus DVLCESCIT AMAROR. Mel-lificæ virtutis Ignatium apem existima, cui mortem meditanti accidebat amaror ille dul-cissimus.

EPIGRAMMA XCVII.

IN IGNATIVM MORTIS MEDITATIONE VOLVPTATIS SENSV PERFVSVM.

Vultum ponè trucem Libitina, columque Sorores
Ponite, nec tetrica ducite pensa manu.
Est, sua qui gaudet præcidi stamina: fatum
Atque suum in nimias increpat ire moras.
Inde auidus mortis Loyola, colonus arata
Ex illa rugis gaudia fronte metit.
Omnia mors mutat: seuit Loyola labores.
Approperat messem condere? lætitia est.

ELOGIVM XCVII.

Quisquis Grammaticus nimis es,
In morte, & mortalitate
Exceptionem hanc disce.
Naturam patris non semper deriuata sequuntur.
Mortalitas deriuatur à morte?
Sed mors amarum illi non sapit,
Cui non sapit dulce mortalitas.
Quàm amara mortis memoria est
Homini pacem habenti in substantijs suis!
An quia non suæ?
Diuinæ scilicet veritatis oraculo,
Vbi nimium cor hæret in fluxis,

Non

Non diuitiæ virorum ſunt, ſed viri diuitiarum:
Sed voluptatis liquidæ
Torrente dulci in immortalitate potandus,
Quid ni, dulciùs haurienti potus vt ſapiat,
Amarum aliquid animus prælibet in morte?
Nimirum tota vita amara cui fuerit,
Illi feſtinato munere, ipſo mortis in calice
Cum ſuo immortalitas nectare propinatur.
Iam verò, bonus licet Aſtrologus,
Quia totus in aſpectu Cæli erat,& ſiderum,
Nihil tamen Mathematicus erat Ignatius,
Solam ſcilicet in re nulla ſuperficiem,
Nec ipſa contemplabatur in morte.
Huic ſolidam ſubijci æternitatem videns,
Bonus Gratiæ Phyſicus, non Naturæ,
Per mortis faciem tenuiſſimam,
Hoc eſt per Naturæ debitum,ad Gratiæ prœmia,
Mentem manſura ſemper in gloria trãſmittebat.
Quàm porrò felix ille viuit,
Cui nec terribilium maximum
Incutere poteſt mors ipſa terrorem?
Verùm debet ille, ſemper vt victurus,mori,
Qui ſemper vixerit, vt moriturus.

INSIGNE XCVIII.

ROMAE SANCTISSIMA MORTE ANIMAM CAELO DEOQVE REDDIT IGNATIVS.



Extincto cereo in Cælum flamma dum euolat, fluxam materiam, humilesque terras DESERVISSE IVVAT. Cum Ignatius obijt, hoc sanctissimus ille Ignis habuit à morte munus, in Cœlum protinus euolauit.

EPI-

EPIGRAMMA XCVIII.

IN IGNATIVM ROMAE KALENDIS AVGVSTI SANCTISSIME' MORIENTEM.

Non ſatis ardenti feruebat Iulius aſtro
Auctus ab Ignat'i *ni foret igne Leo?*
Expirante tamen Loyola, expirat & ipſe
Iulius & ſe ſe hac viuere morte putat.
Quin tanto augeri gaudens ſibi nomine faſtos,
Nil, ait, Auguſto Iulius *inuideo.*
Iam mea linque, licet, feruens Leo, tempora: non eſt
Frigida, ſi Ignat'i mors mea morte calet.

ELOGIVM XCVIII.

Frigus time iam tellus,
Qando Ignis in te tantus extinguitur:
Vitalem experta viuente illo calorem,
An non extincto, in mortem penè frigeſcas?
Immò ardoris expecta incrementa iam tellus:
Vt ignem in terras mitteret,
E Cælo Ieſus venit olim in terras:
Abiens Socius è terris in Cælum,
An non è Cælo demittat ignem in terras?
Tum etiam, vt ardoris,
Sic & lucis incrementa tellus expecta.
Quæ diù latuit

Humilitatis posita Christianæ sub modio,
Vt luceat posthac omnibus, qui in domo Dei sũt,
Supra candelabrum
Et ardens, & lucens
Lucerna altiùs collocatur in Cælo.
Verúm, quid hoc est?
Dulcissimi Parentis in funere,
Ipsius hæres, sobolesque Societas
Doloris amarissimi
In lacrymas non soluitur parentales?
Sed quæ soluentibus iusta filijs
Iustum parere debuit Parentis iactura dolorem,
Iustiore salutis eius, & gloriæ spe
Iustissimum peperit in omnium corde solatium.
An receptus Cælo, datis veluti ad Socios litteris,
Gaudiorum, quibus Superi scribunt, notis,
Quo iam felicitatis esset in loco
Suos facere de se voluit certiores?
Iam extremas vitæ, mortisque horas
Solus in lecto, ac nocte duxit Ignatius.
An, vt soli Ignatio Cælites fruerentur in morte,
Quibus ille frui solis optarat in vita?
Vsque adeò currenti ad Cælum, Cælum occurrit.

IN.

INSIGNE XCIX.

DVM SACRA IGNATII OSSA TRANSFERVNTVR, FVLGENTES IN LOCVLO STELLAE APPARENT.



Denſo apes examine dum alueare circumuolant, ſauis ibi conditis, AD SVA FVNDVNTVR. Cæli totus erat Ignatius, quid mirum, ſi eius in loculum, tanquam ad rem ſuam ſidera confluxere?

EPIGRAMMA XCIX.

IN STELLAS, QVAE IN IGNATII LOCVLO APPARVERE.

Totus, agens terris Loyola, ardebat Olympum:
Aetheris ipse sui totus & ardor erat.
Ergo vbi successit Cælo, succedere ad vrnam
Arserunt grata protinus astra face.
Quæ tamen è populo Cæli radiante sepulcro
Astra pares reputem grata referre vices?
In terras Astræa redit: nam, iusta Parenti
Quæ venit ætherio soluere, Iustitia est.

ELOGIVM XCIX.

Tantus Ignis totus extingui non potuit:
Latent viuidæ adhuc
In cinere, vel emortuali scintillæ.
Vrnâ vix motâ statim emicant in aspectum.
Ignatij nimirum illæ sunt,
Quæ tantum igniti Parentis
Ardorem accendant in filijs.
Verùm Superis inuidiosus esse quid pergo?
Quæ agminatim fulgere videntur in loculo,
Faces, opinor, illæ sunt
Pompam in funere prosequentium Angelorum.
Nisi veriùs, gratijs ab Ignatio tàm multis acceptis,
Opti-

Optimè de ſe merito gratum Cælum,
In Ignatij tumulo
Has veluti lampades accendit,
EX VOTO.
An ſpectata toties ab Ignatio viuente
Spectare illum ſidera, & mortuum ambiere?
Et nunc de oſſibus his
Aliquis vaticinetur Ezechiel:
In illa ne ingreditur,
An ex illis egreditur vitæ ſpiritus;
Quando ardentium ab igne ſiderum
Verâ tantum calere vitâ cernuntur,
Vt piorum ſiderum, & ſidereæ pietatis
Spectantes animent in calorem?
Iam ex fulgore tanto, quem metit,
Cui nam poſteritati erit obſcurum
Quàm clara lucis opera ſeminarit olim Ignatius?
Illuſtre, celſumque munus,
Priſcis Heroibus per ſiderum galaxiam
Gradi dederit fama vetus ad Superos
Cum ad Ignatium nunc galaxia ipſa deſcendat,
Ad illum Superi gradiuntur Heroem,
Cuius ſepulcrũ Cęli factum eſt
Sanctitate tanta compendium.

INSIGNE C.

SANCTORVM HONORIBVS A QVINTODECIMO GREGORIO LVDOVISIO CONSECRATVR IGNATIVS.



Impositus aræ Ignis dum ad peragenda Sacra adhibetur, simul ipse SACRATVR, ET SACRAT. Aris admotum Ignatium Gregorius consecrauit? Mundum omnem Ignatij sanctitas perpetuò consecrabit.

EPI-

EPIGRAMMA C.

IN IGNATIVM SANCTORVM HONORIBVS A XV. GREGORIO LVDOVISIO CONSECRATVM.

Si ſparſit cum Sole manus Ignatius; omnes
Terrarum & ſparſo torruit igne plagas,
Totus in Ignatii obſequium nunc ferueat Orbis,
Et voueat famulas Phoebus vterque faces.
Marmora, pyramides, gemmas, aurumque & odores
Dent Numidæ, Pharij, Maurus, Iberus, Arabs
Aras Gregorius Pater inſuper adijcit: Orbi
Et ſacras Igne hoc adijcit excubias.
Nomine Gregorius vigil eſt: tantum excitat ignem?
Eſt vigil, et corde, et nomine Gregorius.

ELOGIVM C.

Ad communem Sanctorum gloriam
An non ille perueniret in terris,
Qui Sanctorum vitâ, votisque
Ad maiorem Dei gloriam
In terris vnicè gradiebatur?
Altarium, Templorumque
Nitorem Deo Ignatius cum pietate reddiderat:
Ignatium fulgere Deus in Aris iuſſit, & Templis.
Aſylum Hæreſi, luſtra ſceleribus,
Superſtitioni ſana, thura Idolis eripuit.
Huic Religio, huic Pietas,
Huic & Fides, & Deus, aris impoſito

Omnia cōſecrarunt in cultu adorantiū populorū.
Prodigus, ſed cum virtute filius,
Qui nimirū nuda cum Paupertate viuēdo caſtiſ-
Dei causâ ſuis omnibus ſe ſe nudaſſet, (ſimè,
Ab optimo Cæli Parente
Accipere debuit gloriæ ſtolam hanc primam.
Par fuit illum in partem admitti Sanctorum,
Cui cum ſanctitate viuenti
Vnus fuerat tota pars Deus.
Felix, cui pars fuit illa, quæ totum!
Et cui, præter hanc, totum aliud nulla pars fuit!
Venite iam & vos in partem Ignatij
Ludouiſij fulgoris lumina, Gregori, Ludouice.
Alteri Pontificum Maximo
Toto terrarum in orbe, aras:
Nepoti ex Fratre alteri, & Purpurato,
In Vrbe Orbis capite
Quantum debet Romæ Templum Ignatius!
Vt igitur, & per me vobis ille ſit gratus,
Quandiù ſuum in hiſce paginis
Nomen ipſe olim legi non abnuet,
Interprete filio voluntatis in Patre,
Et vos cum veſtrorum operū corona non vltima,
Mei coronamentum operis,
Cum IGNATIO perennate.

F I N I S.

GOSVVINVS NICKEL
Societatis IESV Præpositus Generalis:

CVm opus, cui titulus *Ignatius, Insignium, Epigrammatum, & Elogiorum centurijs expressus*, à P. Carolo Bouio nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, si ità ijs, ad quos pertinet, videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus. Romæ, 1. Februarij 1654.

Gosvvinus NicKel.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sac. Pal. Apostolici.
Marcellus Anania Episc. Sutr. & Nep. Vicesg.

Imprimatur.
F. Raimundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Apostolici Palat. Magister.

ROMÆ, Typis Ignatij de Lazeris 1655.

Superiorum Permissu.

Ex Codicibus Antonij Mariæ de Cazarinis

[illegible]

(Bound)

Coll. copy

8 cc. nos., 300 pp. [illegible]

[illegible] 288, 1 c. [illegible]

DOPPIO